10

VALENTINI HENRICI VOGLERI

DE VALETUDINE HOMINIS COGNOSCENDA LIBER.

HELMESTADII,

Apud HENRICVM DAVIDEM MVLLERVM, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.

ANNO CIƆ IƆC LXXIV.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

PERQUAM REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

DIETERICO CONERDINGIO,

Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis ac Lyneburgenſis Archiatro, Decano Bardevvicenſi,

S. P. D.

VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS.

Librum iſthunc meum prælo exeuntem Tuo, VIR EXCELLENTISSIME, celeberrimo nomini inſcribere commodum viſum fuit. Primum videlicet ipſummet ejus argumentum, in quo tradendo occupatur, quaſi ſponte ſua ad eum affectabat viam, qui multiplici ac longa experientia familiarem cognitionem ejus ſibi compara-

viſſet, atque idcirco etiam de eo, operæne pretium à me præſtitum fuerit an minus, præ aliis maxime idoneus eſſet ad ſententiã juſtam pronuntiandam. Ignorantia quippe ſicuti mater erroris audit, & meritisſime quidem: ita quoque ab iſtiusmodi æſtimatoribus profectæ cenſuræ utique non poſſunt non eſſe, ſæpenumero iniquæ, plerumque falſæ vel ſaltem nervos ac vim rerum haud exprimentes, ſemper ſuſpectæ & quibus tuto fides haberi non queat. Idque tanto magis adhuc, ſicubi affectus animum ſimul occupaverit: vitio etiam inter eruditos, à quibus tamen longisſime abeſſe debebat, minime inſolente. Fit enim inde, ut præter meritum quidpiam vel extollatur vel elevetur,

vetur, prout vel amor vel livor in al-
rutram partem ſententias imperave-
t: in manifeſtam & intolerabilem in-
riam veritatis. Longe aliter ſeſe ha-
ent judicia intelligentium: præſertim
 quibus una par fuerit animi candor
tque ſtudium veri. A quibus proinde
uoque ſolis ut aliarũ rerum ſic etiam
brorum juſta pretia unice conſtitui
 poſſunt & debent. Præter hanc au-
em communem rationem ſeorſim
leinde me movit, quæ inter Parentes
oſtros quondam interceſſit, minime
ulgaris amicitia. Cujus equidẽ num-
quam ſine tacita animi veneratione
ecordor. Tuus nimirum fuit ſuo ævo
 in hiſce præſertim regionibus ἰητρὸς
ολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Tu vero paterni no-
ninis heres celebritatem ejus propria

 virtu-

virtute non parum inſuper & auxiſti & indies auges. Etiam me quam eximio affectu proſequaris, pridem declaraviſti. Quem tamen neutiquam obſtare velim, quo minus liberrime arbitrandi facultas maneat. Immo ut & ingenue ſententiam dicas & benevole quod offero ſimul accipias, etiam atque etiam rogo. Quorum alterum candori, alterum favori tribues. Ego ſane utroque nomine librum Tibi dedico. Qui ſi Tibi inſuper etiam probabitur, tanto magis ob operam bene impenſam lætabor. Vale. Helmſtadii in Academia Julia, die VII Decembris, anno CIↃ IↃC LXXIV.

BENE-

BENEVOLO LECTORI

S.

SIgnorum non unum eumque multo maximum ac neceſſarium in Arte Medica eſſe uſum, neminem vel rudius ejus peritum temere fugere poterit. Quod enim valetudo vel præſens conſervanda, vel ea corrigenda, vel imminens cavenda veniat; utique quidnam factu opus ſit, & qua medicina adhiberi debeat, numque cum ſucceſſu id ſit futu-a ne c ne, definiri non poteſt, niſi verus ejus ſtatus per nea argumenta (hæc enim ſunt σημεῖα) prius certo ex-atus fuerit. Quæ quidem pro diverſitate ejus omni non ius itidem ſunt diverſa. Alia quippe tum totius tum tium habitudinem intra latitudinem ſanitatis conſiſten-, alia morbum præſentem, alia impendentem, alia ejus omnem partem eventum declarant. Iſthanc igitur uni-rſam doctrinam ſcripto iſto comprehenſam poſt alios eti- ego ante aliquot annos publice tradidi: iis duntaxat ſi-s exceptis, quæ ſingulas morborum ſpecies peculiariter itantur; quod ea notare ſit ejus loci, ubi illæ ſigillatim ſiderantur. Vſus autem ſum ea methodo eoque ordine, em ipſa natura maxime ſuggerere mihi viſa fuit. Vſus m ſum aphoriſtico docendi genere, quod ipſimet rei potiſ-um conveniret. Quoniam vero illa non auditoribus dun-at ſed aliis etiam placuiſſe intellexi, recenſita & ubi opus t aucta nunc evulgo. De cetero nihil eſt quod moneam.

Nam

Namque certitudinis atque momenti ratione ſigna multu inter ſeſe differre, ſubinde notavi. Alias autem pleraq omnia cujus indicatum fuit eſſe ominis, multorum annoru uſu ipſe comperi. Nec eſt quod quempiam turbet, quod i temperamentis indagandis viſcera aliæque partes interdu calidæ interdum frigidæ eſſe perhibeantur: quaſi videlice abſurdum ſit, modo talia vel talia pronuntiare, quæ ſempe ſunt aut calida aut frigida. Per ſeſe quippe facile patet, et am vulgari loquendi conſvetudine calida nominari ob majo rem qualitatis iſtius vim: quemadmodum vice verſa frig da, quæ minus calent. Plane gemina ratio eſt etiam ſic atque humidi temperamenti. Quod ſi vero hæc itidem ope ra, perinde ut alia mea fuiſſe accepi, grata fuerit, fortaſſ etiam tum alia tum Medicas Inſtitutiones, *pridem affe ctas & partim publice partim privatim auditoribus propoſi tas, aliquando in lucem emittam. Vale. XI decembr. ipſo di brumæ,* CIϽ IϽC LXXIV.

VALEN

VALENTINI HENRICI VOGLERI
DE VALETUDINE HOMINIS COGNOSCENDA LIBER.

CAPUT I.

De Signorum natura, ſpeciebus, differentiis.

SIgnum cum Fernelio non incommode vocamus, quicquid ſenſibus noſtris obvium, aliud quidpiam latens & occultum comitatur.

II. Galeno Signum eſt, quidquid ab aliquo, tanquam à cauſſa, procedit.

III. Signum igitur Phyſicis ac Medicis uerit id, quod indicat hominis valetudinem, & ita quidem, uomodo effectus arguit cauſſam, effectricem videlicet. Aias enim non omnis effectus protinus alterius eſt ſignum. Quomodo quæ ex ſemine producuntur, ejus tanquam maerialis cauſſæ effectus quidem ſunt, nec tamen ſigna.

IV. Quoniam vero effectus, qui ab externis & manifeſtis cauſſis producuntur, per ſe nemini non patent, ideoque lli in ſignorum claſſe non traduntur, ſed ii duntaxat, qui ab internis proficiſcuntur.

V. Quum porro Medicinæ ſtricte proprieque dictæ duæ ſint ſummæ partes, finem ſcopumque ejus dirigentes, quarum altera valetudinem integram conſervare, altera læſam reſtituere docet; eapropter etiam ſignorum duplex eſt ſummum diſcrimen, ita ut ex aliis ſanitas, ex aliis morbus cognoſcatur.

VI. Hinc ſigna ſunt vel ſalubria ſive naturalia, quæ in ὑγιεινῇ vel inſalubria ſive præternaturalia, quæ in θεραπευτικῇ debent obſervari.

VII. Addi ſolent ſigna, valetudinis medium inter utrumque ſtatum, neutrum Herophilo dictum, indicantia.

VIII. Sed quum ſtatus ille ſub latitudine ſanitatis comprehendatur, ceſſat etiam omne neutrorum ſignorum genus.

IX. Quamdiu enim nulla manifeſta vel non niſi levia læſæ valetudinis indicia deprehenduntur, ὑγιεινὴ neutros illos curat, hactenusque illi habentur pro ſanis, & recte quidem. Quando vero actiones jam clare laborant, ægrotus quis eſt, & θεραπείᾳ indiget.

X. Porro ſigna vel præſentem vel futuram valetudinem indicant. Quorum illa διαγνωστικὰ vel δηλωτικὰ, hæc προγνωστικὰ nominantur.

XI. Accenſentur inſuper à nonnullis ἀναμνηστικὰ ſigna, præteritam valetudinis conſtitutionem in memoriam revocantia.

XII. Sed quod omne ſignum debeat eſſe præſens, & ex præterito vel præſens ſtatus cognoſci vel de futuro quidpiam colligi, præterea ex eo ullum indicans deſumi, adeoque juxta id (ἀναμνηστικὸν) Medicus, ſive ὑγιεινὸν ſive θεραπευτὴν agat, actiones ſuas dirigere prorſus nequeat; utique tertium illud ſignorum genus citra cauſſam & neceſſitatem conſtituitur.

XIII. Nec alius eorum uſus eſſe poterit, niſi quod temperamentum corporis aliquatenus inde poſſit cognoſci, vel priſtinæ bonæ valetudinis rationem, vel quibus morbis antehac quispiam laboraverit, inde percipiendo: præſertim ſi vel manifeſta hujus aut illius prædominantis temperamenti ſigna in ſanitate notata fuerint, vel certis iisdemve morbis ſæpius quis fuerit tentatus.

XIV. Nihilominus ea ne ſic quidem novum ſignorum genus

ɛnus faciunt, ſed ad διαγνωστικὰ pertinent; ceu recte cenſet iam Hofmannus.

XV. Neque vero ad morborum duntaxat dignotionem αγνωστικὰ ſigna pertinent, quod forte cuipiam videri poſſit; d ad ſanitatis etiam accuratiorem notitiam, ſive totius corporis ſive partium temperamentum explorandum fuerit.

XVI. Alia demum ſigna totius corporis, alia vel quandam partium, uni præſertim eidemque facultati dicatam, vel hujus aut illius conſtitutionem manifeſtant.

XVII. Eſtque poſterior hæc partium ſtatus inquiſitio ɛpe perquam neceſſaria, quod pro ejus (ſtatus inquam) diɛrſitate, etiam aliquando unius duntaxat alicujus ejuſque mplicis partis, vel unius integræ cujuſdam facultatis, vel pluium, vel totius corporis adeoque omnium facultatum conitutio nunc bene nunc male ſe habeat: quamquam vulgo à ledicis quoque ſubinde affectio quædam ſive naturalis ſive ræternaturalis his illisve partibus tribuitur, cujus tamen vel ulla vel non niſi dubia & obſcura ſigna habentur.

XVIII. Tametſi porro non niſi ex manifeſtis ſignis certá aletudinis habitudo colligi poteſt: tamen altera minus clara on ſunt ſimpliciter negligenda, ſed ſæpe illorum quoque bſervatio permultum prodeſt: præſertim quando vel grave ut periculoſum ſymptoma arguunt aut portendunt, vel freuenter notantur, vel continua ſunt; inprimis ſi ſenſim vaɛtudinis occulta quædam in deterius mutatio accedat.

XIX. Poſtremo quamquam ſalubria & inſalubria ſigna rorſus ſibi ſunt contraria, perinde ut ſanitas & morbus, via & mors: tamen in morbis ſæpiſſime conjunguntur, ac ſiaul debent attendi, & juxta utraque inter ſe collata Medicus ctiones ſuas inſtituere.

CAPVT II.

E quibus rebus peti debeant ſigna.

PEtuntur autem, certe peti debent, omnis generis ſigna è rebus, quæ homini vel ſecundum vel præter naturam competunt, fontium nomine Semeioticis ſcriptoribus vocari ſolita.

II. *Primum* & potiſſimum ex actionibus. Prout enim facultates ſeſe habent, etiam actiones vel bene vel ſecus, magis item minusve tales vel tales, eduntur. Actiones igitur certa ſigna præbent, unde cognoſcitur, quomodo facultates ſint affectæ.

III. Quum vero cujuscunque facultatis integritas tum in partium illi dicatarum tum ejus quod aliunde influere debet juſta conſtitutione conſiſtat; etiam ex utrisque hiſce ſigna ſunt deſumenda.

IV. In partibus porro ſolidis attendi debet temperamentum, conformatio, continuitas ſive unio. Quæ omnia proinde quoque claſſes ſignorum præbent.

V. Et ſalubria quidem ſigna, ab actionibus recte editis præbita, non incommode naturæ opera poterunt vocari; voce *naturæ* in ſenſu ſcholis Medicis uſitato accepta: quemadmodum inſalubria, ab actionibus videlicet læſis prodeuntia, vulgari loquendi ratione συμπτώματα nominantur.

VI. Ad hunc autem locum ſive fontem ſignorum illa quoque pertinent, quæ cordis & arteriarum pulſus indicat. Eſt quippe is actio facultatis vitalis.

VII. Deſumuntur *deinde* ſigna ab excretis. Quæ ſunt potiſſimum fæces alvi, urina, ſaliva, ſputum, ſudor: item quæ per easdem, per quas illa, vias ſive cum ſive abſque iis ejiciuntur. Quibus addi debent lac & ſemen, utut non ſemper

gene-

enerentur: ſanguis etiam tum peculiariter à fœminis tum lius profuſus.

VIII. In quibus omnibus attendi debet eorum quaitas, quantitas, tempus, conſuetudo, ac modus excernendi.

IX. Multa *porro* ſuggerit corporis externus habitus: nprimis autem faciei, oculorum, labiorum, & inſuper in maignis præſertim morbis linguæ fauciumque affectio.

X. Ad habitum corporis autem pertinent etiam, quæ el in cute vel ſub ea vel circa articulos vel ungues vel ilos notantur.

XI. Præcipue *demum* ad vires eſt reſpiciendum. Hæ quippe vel unius & potiſſimum quidem primariæ vel quarundam el omnium facultatum ſtatum ſignificant.

XII. Id quod tamen de illo primum indicio eſt inteligendum, quod ex ſola virium imbecillitate, aliis ſignis vel nullis vel non niſi obſcuris apparentibus, deſumitur. Alias nim ceteras omnes facultatum actiones ſimul oportet attendere, quod ſæpenumero viribus licet integris magnus tamen liquis adſit morbus. Ita in phreneticis & multo magis adhuc n maniacis vires non laborant, immo ſolito ſunt multum obuſtiores, laborante nihilominus facultate maxime princ ipe. Viribus item quoad cetera ſalvis ſubinde tamen ſenſus raviſſimo tenentur affectu.

XIII. Earundem deinde conſtitutio ſeorſim in multis norbis permagnas præbet ſignificationes. Sibi enim conſtanes ſalutem, dilabentes vitæ periculum ominari ſolent. Alias utem vigor earum diuturnam incolumitatem ac vitam ſimpliciter nequaquam prænuntiat, quod ipſasmet etiam ſæpenunero præceps aliquod ſubitoque invadens malum vel in monento proſternat & opprimat; ceu potiſſimum fit in deliquio, apoplexia, ſyncope, ſimilibusque ſymptomatibus aliis.

XIV. Hæc igitur omnia demum juſtam atque integram

Semeioticam generatim quidem abſolvunt: nequaquam ſola pulſus & urinæ obſervatio, quibus vulgo tamen tantum non omnis includitur, quum ſint è rebus non niſi minoris momenti. Nam ætas, anni tempus, & ejuſce generis alia, quadam duntaxat ex parte coindicant.

CAPVT III.

Quomodo totius corporis valetudo ſit cognoſcenda, & quotuplices ſint ejus differentiæ.

QVibus ita conſtitutis videndum jam quomodo valetudinis habitudo ſit indaganda, ſive totius corporis adeoque omnium facultatum, ſive quarundam, ſive unius partis ac facultatis.

II. Integræ igitur totius corporis ſanitatis ſignum & certiſſimum argumentum eſt *primum*, ſi nullæ non actiones, ſive naturalis atque vitalis Medicis dictæ, hoc eſt nutritivæ, ſive ſenſitivæ, ſive rationalis, ſive locomotivæ facultatis fuerint, commode recteque eduntur edique poſſunt.

III. Ejus *ſecundum* ſignum eſt, ſi quæ ſecundum naturam excerni debent, ita ſe habent, ut communiter in aliis bona valetudine utentibus. Vt videlicet nec nimis frequenter, nec nimis raro, neque cum moleſtia rejiciantur, ut item debita tum qualitate tum quantitate.

IV. Similiter *tertium*, quando externus etiam corporis habitus nihil prodit inſolens aut alienum.

V. Quod ſi facies inſuper ac totum corpus fuerit elegans, gratique coloris, & omnium externarum partium, inprimis autem oſſium, juſta & concinna inter ſeſe proportio, corpuſque nec macilentum nec obeſum; non duntaxat ſanitas adeſt, ſed etiam pulcritudo, adeoque tale corpus ſingularis præſtantiæ eſt.

VI. Quoniam vero facultates earumque actiones præcipu-

cipuum valetudinis ſignum præbent, hinc inteſtinum quoddam malum, qualis eſt calculus, vomica, vermis, alentes, quamdiu prorſus nullam ullius actionis difficultatem nullamque moleſtiam inde percipiunt, hactenus etiam pro ſanis habentur.

VII. NEC tamen omnes homines integra quidem valetudine gaudentes prorſus eadem & æquali ſanitate utuntur, immo nec uti poſſunt. Ideoque plane abſurdum fuerit & contra ipſammet naturam, ſimpliciter eandem valetudinem in omnibus requirere.

VIII. *Primum* quippe permagna differentia ejus eſt ratione ætatis. Aliter enim ſeſe habet ſanitas infantis, aliter pueri, adoleſcentis, juvenis, viri, ſenis. Omnes enim in quacunque ætate conſtituti recte valent, ſi ea ſanitate utuntur, quæ ſingulis ſecundum naturam competit.

IX. Aliter etiam in principio, aliter in medio, aliter in fine ſingularum ætatum valetudo ſeſe habet: quum ſenſim corporis robur animique vigor accreſcat, ſenſim rurſus decreſcat.

X. *Secundum* diſcrimen conſtituit aër. Quod rurſus multiplex eſt. Nam primo qui regiones calidas incolunt, graviter offendi ſolent in frigidas delati: & contra. Eadem deinde ratio eſt locorum maritimorum, aliorum humidorum, campeſtrium, ſilveſtrium, montanorum. Similiter idem non parum quoque deprehenditur pro partium anni diverſitate. Nec minus demum id facit tempeſtatum varietas. Alios enim hic, alios ille aëris ſtatus, vel juvat vel offendit.

XI. Neque parum *tertio* heic faciunt aſſumta. Cibi videlicet ac potus quum ſint diverſiſſimarum qualitatum, non poſſunt etiam non quales ipſi ſunt talem ſanguinem gignere, & conſequenter ſimili modo valetudinem afficere: idque tanto magis, quanto frequentius uſurpantur; quantoque magis familiari ſunt in uſu. De quo eo minus ambigendum, quum unius

unius etiam unicus uſus ſubinde valetudini manifeſtam afferat alterationem. Vnde quoque magnam partem dependet diſcrimen, quod inter habitus corporum diverſarum gentium intercedit. Id quod præter alios à me quoque in *Diæteticis* alibique eſt animadverſum.

XII. *Quartam* differentiam gignit vitæ genus. Quod facit, ut aliis parcior, aliis copioſior alimentatio conveniat. Qua quando utuntur illi reſpondente, bene valent: ex adverſo mutata, læduntur. Ex quo cetera quoque ſunt æſtimanda.

XIII. Accedit *quinto* conſuetudo: quæ obſervata, bene; neglecta, male valere quem facit. Quæ ſimul univerſam victus rationem & omnem rerum nonnaturalium Medicis dictarum uſum concernit, hoc eſt, numerum & tempus & frequentiam alimenta aſſumendi, tempus egerendi, dormiendi, motum & quietem, eodemque inſuper pertinentia alia. Quo ipſummet etiam vitæ genus non parum confert.

XIV. Sed & *ſexto* ſexus in nonnullis ad valetudinem ſpectantibus rebus aliquam differentiam affert. Cujus generis non duntaxat eſt, quod ſecundum naturam mares fœminis & corpore & animo plerumque plus valeant; ſed etiam ſunt quæ utrumque ſexum proprie ratione ſui concernunt, nemini non nota.

XV. *Septimo* demum ſingulis ferme hominibus peculiare quid ineſt. Quale eſt, quod aliis hæc aliis illa alimenta vel proſint vel obſint. Quod item in eadem ætate conſtituti idemque vitæ genus colentes non eodem numero vel non æque frequenter alimenta appetant. Quod porro alii longiorem alii breviorem vel motum vel quietem ſine moleſtia ferant.

XVI. Optima igitur integerrimaque valetudine utuntur, qui non temere offenduntur errore quopiam etiam non

levi

evi circa victum commiſſo, qui promiſcue nullius non generis alimentis iiſque in magna copia ſine noxa uti poſſunt, qui tempeſtatum varietatem & inclementiam cæli facile tolerant, qui nec fortiori motu cito delaſſantur nec diuturna quiete nauſeant & languent: ut ſummatim dicam, qui rebus neceſſariis ſive nonnaturalibus ita utuntur utique poſſunt, prout occaſio, tempus, locus, & alia ferunt.

XVII. Pro ſanis tamen illi quoque ſunt habendi, qui certum tempus prandendi vel cœnandi accuratius obſervant vel obſervare coguntur, qui quorumlibet generum alimenta vel largiorem eorum numerum non admittunt, qui aëris inſigniores mutationes facile ſentiunt, qui itinera vel alias longiorem motum non tolerant: dummodo facultates nullum defectum prodant, quamdiu convenienter & ſuo temperamento, & conſuetudini, & vitæ generi, & ætati, in victu iſtarumque rerum uſu agunt.

CAPUT IV.

Quæ tam in totius corporis quam ſingularum partium temperamento æſtimando ſimul inſuper debeant attendi.

PORro jam monſtrari debet, quomodo tum totius tum vel omnium vel ſaltem præcipuarum partium temperamentum ſit cognoſcendum. Nec enim omnes ſani eodem utuntur temperamento, nec in omnibus æquale eſt temperamentum, unde nec omnes facultates in omnibus æque vigent.

II. Quod ipſum proinde ut recte dijudicari poſſit, præter illa ſuperiori capite jam tradita cautelæ quædam inſuper adhuc ſunt obſervandæ, à Galeno eumque ſecuto Hofmanno præ aliis probe notatæ.

III. *Primum* videlicet partes omnes vel ſaltem præcipuæ

tum inter ſeſe tum cum corporis externo habitu conferri debent. Internarum vero partium temperamentum ex actionibus, quibus edendis dicatæ ſunt, plerumque, ſaltem quadamtenus, poteſt cognoſci.

IV. *Deinde* ſemper attendi debet, an id, quod vel in toto vel in ſingulis partibus obſervatur, ipſis per ſe an per accidens inſit & competat.

V. *Tertio* præterea diſtingui debet inter temperamentum quod internam, & id quod externam habet cauſſam effectricem. Quorum hoc tum ab aliis tum præcipue ab aëre, aſſumtis, tam corporis quam animi motu, excretis item ac retentis proficiſcitur.

VI. *Quarto* temperamentum partium, quæ quidem vel concoctioni vel excretioni deſtinatæ ſunt, ex recrementis non niſi quadamtenus debet æſtimari.

VII. *Quinto* demum temperamentum, quod partibus proprium ineſt & innatum ac miſtionis ratione competit, nequaquam confundendum eſt cum earundem adventitio & aliunde communicato temperamento. Illud enim ſimilarium partium formam & eſſentiam conſtituit, hoc ſingulis partibus largitur vitam. Vnde illud in quibuſdam cito perit, in quibuſdam ad aliquod tempus, in quibuſdam diu, in quibusdam quaſi perpetuo ſupereſt, pro ſingularum propria natura & inter ſe diverſitate: hoc ſublato ſimul ceſſat vita.

CAPVT V.

Singularum ſimilarium partium proprium temperamentum quomodo exploretur.

SImilarium igitur partium proprium temperamentum *Calidum* cognoſcitur *primum* tactu. Quomodo ſolum calidum innatum proprie percipitur in corde, animalis videli-

cet

t vel vivi vel mox à jugulatione aperti, & quidem in ſolida ius ſubſtantia, ubi ſedem habet. In ſanguine autem aliisque rtibus adeoque ipſismet cordis ventriculis idem illud caliım non niſi influens temperamentum conſtituit. At proium aliarum partium calidum temperamentum tactus noſtri nſum fugit propter influens illud, quo ſenſorium iſtud erfuſum aliarum rerum temperamenta percipit & exlorat.

II. Omnes *deinde* partes ſunt calidæ, quæ facile incaeſcunt facileque calidam intemperiem contrahunt. Vnde caidæ ſunt membranæ. Facile quippe inflammantur. In inlammationibus autem proprium temperamentum partium rimario afficitur. Unde colorem tum eæ mutant. Inde veo de aliis partibus judicandum. Sunt itaque calida quoque parenchymata viſcerum, caro item proprie dicta.

III. *Tertio* calidæ quoque ſunt partes, quæ colliquanur & incenduntur à nimis aucto calido innato vel externo gne, adeoque utrumque vel alterum ſaltem nutriunt. Quais eſt maxime pinguedo, dein oſſium medulla. Quales item unt pili.

IV. *Quarto* calidi ſunt omnes acres & ſalſi humores: effectu & operationibus eorum idipſum abunde comprobanibus. Excitant enim majorem calorem, & externis partibus nſolentem rubedinem inducunt. Nec eſt, quod humores ecrementitii generis adeoque hinc ubi de partibus agitur alienos eſſe quis opinetur. Sanguis enim tantum abeſt ut è partium ordine ſit removendus, ut ſit inter præcipuas: ſecus atque multis eſt perſuaſum. Ad ſanguinem vero pertinent omnes integram illam miſcellam conſtituentes humores, & proinde quoque partibus merito accenſentur.

V. *Quinto* multarum ſolidarum partium temperamentum redditur calidum propter adventitium calorem in eas

ſeſe inſinuantem easque penitus occupantem. Prorſus quomodo per coctionem aliamve præparationem ab igne admoto complures res ἐμπύρευμα impreſſum retinent, ſæpenumero aliud etiam acquirunt temperamentum. Quomodo cauſtica quoque & phœnigmi partes afficiunt. Idipſum vero tum aliis partibus tum peculiariter dentibus obtingit.

VI. *Sexto* demum illæ partes valde ſunt calidæ, quibus demtis vel corruptis totum corpus refrigeratur. Quod maniſeſtiſſimum eſt in teſticulis. Nam quod ſanguine & magis adhuc ſemine profuſo idem contingit, ad calidum influens potius pertinet: quamquam utrumque in ſe quoque ſpectatum revera eſt calidum.

VII. *Frigidum* temperamentum ex eo *primum* colligitur, quod partes iſtæ non facile incaleſcant, nulliſque inflammationibus ſint obnoxiæ. Qualis eſt medulla cerebri cum nervis & cartilago.

VIII. *Deinde* quod vel ſanguinem vel alias in quibus continentur partes vel totum corporis habitum refrigerent. Quod in cerebro humoribuſque tum pituitoſis tum ſeroſis, aliena quidem qualitate carentibus, manifeſto deprehenditur.

IX. Medii inter hæc duo generis temperamentum quodammodo obtinere cenſeo cutem, ad calidum tamen potius inclinans. Magis autem vaſa, tendines, ligamenta, ungues, oſſa.

X. *Siccum* & *Humidum* temperamentum ſtatim innoteſcit tum tactu tum viſu.

XI. Sed & humidæ partes omnes ſunt, quæ licet conſiſtentiam obtinentes, tamen vel per colliquationem vel per putredinem diſſolvuntur ac diffluunt.

XII. In univerſum denique ſingularum ſimilarium partium temperamentum ex iſtis intemperiei ſpeciebus facile colligitur, quibus præcipue ſolent tentari.

XIII. In

XIII. In quibus omnibus temperamentis tamen ſimul ttendi debent aër, ætas, victus, vitæ genus, animi affectus, ia. Pro horum enim omnium diverſitate partes, adeoue totum corpus, nunc magis nunc minus calidæ vel frigiæ ſunt, magis item minusue ſiccæ vel humidæ; ceu nemini on notum eſt.

CAPVT VI.

Vnde diſsimilarium partium proprium temperamentum cenſeatur.

Stis ita ſeſe habentibus non difficile fuerit diſſimilarium quoque partium propria temperamenta æſtimare. Tametſi nim uniuſmodi quoddam temperamentum ipſis ita non competit, quemadmodum miſtis, ſed ſingulis ſimilaribus diſſimilares quasque conſtituentibus ſuum eſt: tamen diſſimilares d temperamentum potiſſimum obtinere cenſentur, quod ars ſimilaris, quæ præcipua eſt in ſingularum diſſimilarium ompoſitione, habet.

II. Bene vero ac jure id ipſum fieri *primum* inde conſtat, quod partes iſtæ ſimilares potiſſimum uſum præbeant, deoque diſſimilares earum beneficio ad actiones quibus edendis dicatæ ſunt maxime ſint aptæ.

III. *Deinde* quod intemperiei quoque iſtæ ſpecies, quæ præcipuas ſimilares, etiam compoſitas ſive diſſimilares partes præ aliis infeſtare ſoleant.

IV. Calida ſunt igitur viſcera, teſtes, muſculi, partes membranaceæ, oculi, partes pingues, ſanguis, ſemen. Namque hæc duo poſtrema & partes ſunt & diſſimilaria. Calidum denique etiam eſt lac.

V. Neque vero quidquam me movet quod de membranacearum partium & oculorum frigiditate ab aliis ſolet

doceri, quum nullo firmo argumento vel utrumque vel alterutrum hactenus probatum viderim.

VI. Nec enim exempli gratia ventriculus eſt frigidus, licet nec omnia nec in omnibus æque concoquat: nec urinaria veſica eſt frigida: quum contrarios affectus ſentiant.

VII. Nec oculus frigidus eſt propter humorem cryſtallinum, quum nec ejus inſignis frigiditas à quoquam ſit oſtenſa, nec humor iſte oculi partium ſimpliciter ſit princeps, ſed cum eo pupilla & iris merito poſſit contendi. Affectus certe oculis familiares contrarium nimis manifeſto evincunt.

VIII. Frigidum vero eſt cerebrum cum nervis, partes item cartilagineæ.

CAPUT VII.

Unde adventitium partium temperamentum ſit æſtimandum: quotuplici item modo iisdem communicetur.

ADventitium jam, quod aliunde, ex corde ſcilicet, influit partibuſque ceteris omnibus vitam largitur, temperamentum ex duobus æſtimatur: tum è ſingularum id recipientium partium propria natura, tum ex eo per quod iis temperamentum iſtud affertur & communicatur. Quod præclare docuit φιλοσοφώτατος Conringius noſter *lib. de calido innato, cap. XXI.*

II. Et in ipſiſmet quidem partibus attendi debet earum aptitudo, num videlicet facile ab illo influente afficiantur & incaleſcant adeoque poteſtate ſint calidæ, an minus.

III. Quo magis enim potentia tales ſunt partes, eo calidiores quoque ſunt: contra quo minus, eo quoque frigidiores. Et quo magis tales, eo promtius quoque calidum iſtud recipiunt: & contra quo minus, eo tardius.

IV. Hinc

IV. Hinc *primo* omnium calidiſſimum eſt ſemen, & præcipue maſculinum. Vnde facillime ac ſubito incenditur. Et quo calidius eſt, quo majori item copia adeſt, eo vehementius etiam totum corpus calefacit. Quod in homine pariter ac brutis clariſſime obſervatur. Unde quoque profuſionem ejus totum corpus illico ſentit. Quod utrumque in præternaturalibus etiam affectibus identidem deprehenditur. Semen igitur perfuſum eſt plurimo calido, eſtque ſanguis perfectiſſime coctus, ejuſque quaſi flos quidam. Optimum quoque generatur in ætatis corporisque vigore.

V. Proximum *deinde* locum obtinet ſanguis. Vnde animalia ſanguine prædita multum calidora ſunt eo carentibus. Præterea quo craſſior ac fibroſior eſt ſanguis, eo quoque calidior eſt. Firmius enim tali ſanguini calidum inhæret. Id quod tum in morbis etiam obſervatur, tum in ſanguinis miſſione neceſſario debet attendi. Talia quoque corpora robuſtiora ſunt tardiusque frigoris vim ſentiunt ſanguinem tenuem ac ſeroſum habentibus. Vnde alia quoque animalia fibroſum ſanguinem obtinentia animoſa & iracunda eſſe probe notavit Ariſtoteles *l. 2 de partib. animal. c. 4.*

VI. Eadem ratio *tertio* eſt parenchymatis viſcerum, utpote quod revera nihil aliud eſt, niſi ſanguis concretus, eſtque itidem perfuſum plurimo calido, à quo promtiſſime incaleſcit, perinde ut ſanguis.

VII. Idem *quarto* affirmandum eſt de carne muſculorum. Nam & illa ejuſmodi itidem eſt ſubſtantiæ, & numeroſo calido influente pollet, & id ejuſque vim facile admittit.

VIII. *Quinto* calida quoque eſt pinguedo. Cito enim calefit, calidumque probe retinet, unde manifeſto quoque aliarum quas regit partium calorem fovet.

IX. *Sexto* denique quæ ſanguinis, eadem lactis etiam natura eſt: niſi quod ſanguis ruber perfectior ſit & concoctior

ctior & propterea calidior, utpote plus calidi quoque reapſe continens.

X. ALTERVM vero pertinet ad ipſammet calefactionem ſeu calidi communicationem. Quæ variis fit modis.

XI. *Primum* videlicet id fit proxime ipſomet calido innato id præſtante. Quomodo cor eſt calidum, & quidem omnium aliarum partium calidiſſimum. Nec tamen omni ſui parte æqualiter eſt tale. Calidior enim eſt ſubſtantia ejus cavitatibus, & in his ſiniſter ſinus dextro. Septum ejus porro maxime calet, deinde ſiniſtrum latus, minime dextri ventriculi latus externum. A corde autem caliditatis ratione proximus eſt ſanguis, utpote in ipſomet corde calidum innatum recipiens.

XII. *Deinde* id fit alio mediante, idque triplici modo. *Primum* beneficio ſanguinis. Quo plus igitur ejus ad aliam partem defertur, eo calidiorem quoque illam eſſe oportet. Præterea quanto plus arterioſi ſanguinis pars quæpiam accipit, tanto calidiorem adhuc eam eſſe neceſſum eſt. Unde viſcera omnia præ aliis partibus ſunt calida, & poſt cor ac ſanguinem pulmo & hepar ceteris calidiora.

XIII. Quædam *deinde* calefiunt commodante ſero, quæ minus ſunt calidæ iſtis partibus. Quomodo multæ membranæ calidi innati fiunt participes, exilibus vaſculis ichorem vehentibus per eas ſparſis. Quomodo cutis item & cuticula per capillaria vaſa potiſſimum calefiunt. Quomodo ſimiliter urinariam veſicam ſerum in eam deſtillans calefacit: non niſi ex parte tamen duntaxat. Nam ex parte quoque id fit ab adjacentibus partibus. Idem vero obſervatur etiam in aquis hydropicorum, quæ proinde paracentheſi facta ſubito & confertim detractæ manifeſto refrigerant totum corpus, immo mortem accelerant.

XIV. Multæ *demum* partes, præſertim ubi cavitates ſunt

ac va-

vacua interſtitia, calidum accipiunt ope vaporum. A quibus tus habitus corporis in viventibus tumidus redditur, in ortuis ex adverſo concidit. Partes autem illæ omnium mi- ime ſunt calidæ.

XV. Tametſi vero iſthæc omnia ita ſeſe habent, tamen lud temperamentum ipſumque calidum innatum manifeſto unc augetur nunc imminuitur pro ætatis, aëris, aſſumtorum, xcretorum ac retentorum, vitæ generis, motus & quietis, vi- iliarum ac ſomni, animi affectuum, ſanitatis demum ac mor- orum diverſitate. Quo ipſo ſimul totius corporis ſingularum- ue partium proprium temperamentum neceſſario alteratur, eapropter facultates omnes & inde proficiſcentes actiones unc magis nunc minus vel bene vel male ſeſe habent. Id uod in homine pariter ac brutis numquam non obſervari oteſt.

CAPVT VIII.

Quotupliciter partes vel temperatæ vel intemperatæ dicantur.

PErgendum nunc eſt ad ſigna, è quibus primariarum parti- um temperamentum, quomodo id in ſingulis hominibus eſe habeat, cognoſci poteſt.

II. Id quod tum ad conſervandam tum ad reſtituendam aletudinem ſcitu neceſſarium eſt. Vtrobique videlicet ſem- er illud attendi debet, ut quantum fieri poteſt id tempera- mentum vel conſervetur vel reſtituatur, quod cuique maxi- me naturale eſt, & quo quamdiu quiſque utitur optime ſeſe habet.

III. Conditio vero iſthæc apprime notari debet. Quod ſi enim tale ſit temperamentum, quod in præternaturales af- fectus manifeſto eſt pronum, potius id corrigendum & ad mediocritatem reducendum eſt.

IV. Quando igitur hoc vel illud viſcus (eadem vero ratio eſt & aliarum partium) aut temperatum aut intemperatum in hoc vel illo homine dicitur, *primo* id ita debet intelligi, quod temperamentum ejus tale ſit, quale ſecundũ naturam & communem morẽ maxime eſſe debet, aut quod una vel altera qualitas juſto magis in eo præcellat vel ſit debilior: comparatione videlicet cum aliis hominibus juxta varias omnis generis heic obſervatu neceſſarias differentias inſtituta. Vt tamen intra ſanitatem hactenus poſterius etiam conſiſtat. Quod ſi enim actiones inde læduntur, jam manifeſta proprieque dicta intemperies, hoc eſt morbus, adeſt. Ita omnia viſcera exempli gratia in juvene multo ſunt calidiora quam in puero vel ſene, nec tamen propterea ſunt intemperata: ſed tum forent, ſi talia non eſſent. Etiam pueri tamen ac ſenis viſcera & ſunt & eſſe debent calida, nequaquam tamen pari cum illo gradu, alioquin & ipſa intemperata futura.

V. *Deinde* viſcus aliquod dicitur temperatum vel intemperatum, illud tum in ſeſe ſpectando tum cum aliis viſceribus conferendo: non habita ratione ætatum, vel ceterarum differentiarum ab aëre, victu, vitæ genere, aliiſque ſupra jam non ſemel notatis rebus petitarum. Quomodo eadem viſcera bene temperata ſunt, ſingulis ſibi competentem caloris gradum obtinentibus: intemperata contra, ſi quod calidius eſſe debet illi quod minus tale, aut unum vel plura iſti caliditate paria fuerint. Vt tamen intra latitudinem ſanitatis adhuc etiam iſthæc inæqualitas contineatur.

VI. Vulgari *tertio* loquendi ratione temperata vocari ſolent, quæ plane moderate calent: ſicut è contrario intemperata, quæ mediocritatem vel non attingunt vel excedunt. Quod vero de caliditate dicitur, idem ſimul etiam de aliis qualitatibus ac temperationibus eſt intelligendum. Hujus ipſius autem cauſſa inter homines & ejuſdem ætatis & eodem victu

uten-

entes & idem vitæ genus ſectantes ſubinde notabilis obſer-
tur diſparitas.

VII. Præter hæc *quarto* intemperata ſunt, quæ manife-
o à naturali ſtatu ſive bona valetudine facto receſſu morbum
ntiunt. Id quod intemperies peculiariter nominari con-
evit.

VIII. Quibus ita habentibus demum notari quoque de-
et, in hac viſcerum aliarumque partium omnium æſtimatio-
e ſimul utrumque, tam proprium quam adventitium, tem-
eramentum comprehendi. Nam & omnes qualitates, è
uibus integrum temperamentum conſtat, attendi debent, &
b influenti non poteſt non proprium immutari. Partes etiam
orporis humani heic conſiderantur, non veluti corporum
aturalium peculiares ſpecies, ſed tanquam vivi cujuſdam
orporis partes. Quales ut ſint, neutrum temperamentum
olitarium ſufficit, ſed utrumque requiritur junctumque uni-
e præſtat.

CAPVT IX.

E quibus ſignis Cordis temperamentum in ſingulis hominibus poſſit cognoſci.

INcipiendum igitur à CORDE, quod omnium ceterarum
partium & primum & primarium eſt.

II. Quod ipſum ſi *Temperatum* eſt, pulſus eſt mediocris,
non durus, nec debilis, nec tardus, nec celer: calor corporis ad
tactum mitis: mores inſuper & animi affectus ſunt moderati,
commodi, ſuaves.

III. *Calidum* cor ſignificatur pulſu valido & duro: cor-
pus ad tactum quaſi igneum eſt, præſertim in vola manus: id
habentes ſolent vehementiſſime iraſci & inde exardeſcere,
ſunt animoſi: præterea ſolent facie eſſe rubicunda, item pilos
habere nigros, & hirſutum pectus: proni quoque ſunt in ca-
lidos affectus.

IV. *Frigidum* arguitur pulſu parvo: colore corporis & inprimis faciei albo vel potius pallido: tales moribus ſunt ſegnes ac timidi: frigore magis & citius offenduntur quam calore.

V. *Siccum* indicatur pulſu duro ſed parvo: tales juvantur humidis, læduntur ſiccis: non facile iraſcuntur; aſt ubi conceperint iram, non facile dimittunt.

VI. *Humidum* plane contrariis indicatur.

VII. *Calidum* & *ſiccum* denotant pulſus magnus & durus & celer: tales ſunt proni in iram, audaces, arrogantes, immiſericordes, libidinoſi, ἀφραστήριοι: ſunt hirſuti; pilum habent denſum & nigrum, vel etiam criſpum: corpus contactu valde calidum, item ſolidum: colore ſunt ejuſdem nigro: facile laborant febribus calidiſſimis.

VIII. *Calidum* & *humidum* indicatur pulſu magno & molli & crebro: colore corporis & præſertim faciei florido: pilis rufis: in animi affectibus ſunt facile mutabiles.

IX. *Frigidum* & *ſiccum* oſtenditur pulſu parvo & duro & raro: tales in animi affectibus ſunt fere ſtupidi, interim in iis ſi quando ab iis corripiuntur pertinaces: valde læduntur à frigore, borea præſertim flante.

X. *Frigidum* & *humidum* monſtrant pulſus mollis: iram non facile ſumunt & facile deponunt: catarrhis ſunt obnoxii, quamquam non ſimpliciter ab hac cauſſa.

XI. ADDITVR hiſce ſignis ab aliis *primo* reſpiratio, ita ut temperati cordis mediocris, calidi magna & celeris & crebra, frigidi parva & tarda & rara, ſicci parva & tarda & crebra, humidi contraria, & ita conſequenter in compoſitis qualitatibus alia atque alia reſpiratio ſit ſignum. Motum videlicet pulmonum fieri à motu cordis & ſanguinis in arterias protruſi.

XII. Sed reſpiratio an proprium temperamenti cordis ſit ſignum equidem dubito. *Primum* propterea, quod cordis & ſan-

& ſanguinis motus non ſit ſimpliciter efficiens cauſſa reſpirationis. *Deinde* quod motus cordis pro diverſitate caloris magnus vel parvus ſit, alius item atque alius, reſpiratione illi neutiquam reſpondente. Inde magnus & celer eſt in pleuritide & peripneumonia. In difficili quoque reſpiratione aſperæ arteriæ rami ſæpe ſunt obſtructi, quum tamen ſanguinis motus per pulmonem non impediatur. Quin etiam vehementiſſimus interdum eſt motus cordis in eadem, immo ea jam prorſus intercepta: quod in iis qui ſuffocantur nonnunquam manifeſto conſpicitur. Ideoque reſpiratio conſtitutionem cordis primo & per ſe ac ſimpliciter non ſignificat. *Tertio* quod ipſimet illi reſpirationis differentias à conformatione thoracis ſimul arceſſant.

XIII. Afferunt *deinde* ſimiliter tum corporis tum præcipue pectoris quam modo dixi conformationem, ita ut temperatum cor thorax nec latior nec anguſtior, calidum idem bene proportionatus (ceu loquuntur) quamvis amplior, frigidum anguſtus & planus, ſiccum parvus, humidum magnus & ita porro compoſita ejus temperamenta talis ac talis ſignificet.

XIV. Sed & hoc ſignum pro certo ac proprio equidem non poſſum agnoſcere, quod tum totius corporis tum ſeorſim pectoris conformatio non dependeat à calido innato. Deberent etiam omnes quibus amplius eſt pectus calidis, contra quibus anguſtius frigidis affectibus eſſe obnoxii. Homines item proceri calidiores & animoſiores, ex adverſo qui brevioris ſtaturæ ſunt frigidiores ac timidiores eſſe. Quorum nullum tamen, immo ſæpenumero contrarium, experientia probat.

XV. QVOD autem ex animi etiam affectibus temperamentum cordis colligitur, nemini mirum videri debet, quum & omnes illi cor ac ſanguinem ſemper afficiant, & vice

verſa pro diverſo utriusque temperamento ipſimet illi varient, vel ſolis iis quæ hac in re ætates ſuggerunt fidem facientibus.

XVI. Præterea quoque notandum, licet affectus illi per rationis regimen atque conſuetudinem multum poſſint mutari, vel ſaltem cohiberi & premi, ne in mores & externos actus prorumpant; tamen fere ſemper manere proclivitatem quandam in eos, qui cordis ac ſanguinis temperamento ſunt affines.

XVII. Tametſi item plures temperamentorum ſpecies non dantur, facile tamen quilibet intelligit, ſingulas nunc magis nunc minus in ſingulis hominibus inveniri, nec omnes calidos vel frigidos, ſiccos item vel humidos, in eodem gradu præciſe, ſed ſub magna latitudine tales vel tales eſſe.

XVIII. Inter omnia demum cordis temperamenta optimum eſt, quod ad temperatum proxime accedit. Id autem eſt calidum & humidum. Cui proinde quod maxime opponitur, frigidum videlicet & ſiccum, omnium eſt peſſimnm. Quorum illud juventuti, flori illi ætatis: hoc ſenectuti, quæ ad mortem naturaliter ducit, eſt proprium. Vnde illud etiam longam, hoc brevem vitam portendit.

CAPVT X.

Quomodo ceterorum viſcerum temperamenta ſint exploranda.

CORdi viciniſſimus eſt PVLMO. Cujus *Calidum* temperamentum ſignificant reſpiratio longa: vox magna & quæ continuari poſſit: ſitis crebra & valida poſt vocis uſum: æſtate & ab aëre calido tales læduntur, frigido juvantur.

II. *Frigidum* arguunt reſpiratio parva, & minus calida, non tamen eousque ut frigidum exſpiretur: vox muliebris: tales

tales minime ſunt ſiticuloſi ob locutionem: à calido aëre bene ſe habent, at à frigido, præſertim boreali, peſſime.

III. *Siccum* reſpiratio parva & rara & tarda: vox acuta & tantum non clangoſa: ſitis à voce: tales quadamtenus proni dicuntur in aſthma ob difficilem motum pulmonum.

IV. *Humidum* denique reſpiratio magna & rara & tarda: vox obſcura & rauca: nulla ſitis ab hac cauſſa: ad excrementa recipienda & colligenda proclivitas. Flaccidi quoque tales pulmones inde facile redduntur: unde difficilis & imperfecta nec plena reſpiratio.

V. REFERTVR inter ſigna quoque *primo* pulſus, utpote qui reſpirationi ſit analogus, juxta omnes temperamentorum diverſitates.

VI. Sed an ab eo proprium ſignum heic deſumi poſſit equidem ambigo, quod pulſus propria actio ſit cordis ejusque temperamentum prodat, nec pulſus & reſpiratio pro æquivalentibus ſignis haberi poſſint.

VII. *Deinde* non minus adjungitur thoracis conformatio, quod videlicet calidum pulmonem habentibus thorax ſit amplus & piloſus & ad tactum calidus, frigidum parvus, ſiccum itidem parvus, humidum magnus.

VIII. Sed & hoc non immerito dubium videtur, propterea quod pectoris vel amplitudo vel anguſtia plurimum quidem faciat ad reſpirationem vel validam vel parvam, adeoque ad ipſum vel liberiorem vel impeditiorem cordis ac ſanguinis motum; attamen aliud ſit reſpiratio, aliud temperamentum pulmonis. Quid enim ad temperamentum facit conformatio, niſi plane per accidens?

IX. Multum obſcuriora ſunt HEPATIS omne temperamentum proprie declarantia ſigna.

X. Affertur quidem *primum* reſpiratio. Sed illa nullum heic poteſt præbere argumentum, niſi ab epatis magnitudine

tudine petitum. Hæc enim ſi inſignis fuerit, diaphragma ſurſum cogendo reſpirationem difficilem reddit. At quid magnitudo vel parvitas ad temperamentum confert? quum calidiſſimum poſſit eſſe jecur etiam parvum, & contra multo minus calidum magnum. Quod ſi vero id ab inflammatione vel abſceſſu magnitudinem habet auctam, jam manifeſto laborat morbo.

XI. *Deinde* ſignis iſtis annumeratur ſanguis, quod calidum hepar calidior ac tandem bilioſus, frigidum frigidior & qui cachecticos ac leucophlegmaticos facile reddat, ſiccum paucus ac terreſtris parumque nutriens, humidum copioſus & qui ſi propter renum vitium à ſero non depuretur aſciticos faciat, & ita porro compoſita ejus temperamenta alius atque alius, indicet.

XII. Sed ſanguinis qualitas non niſi ex parte hepati poteſt tribui. Nititurque aſſertio iſthæc priſtinis ſententiis de nutritiva & *αἱματοποιητικῇ* facultate ſoli jecinori competente.

XIII. Adduntur *tertio* cutanearum venarum amplitudo vel anguſtia, *quarto* corporis externus habitus, *quinto* color cutis, *ſexto* pili eorumque copia vel defectus & color.

XIV. Sed & hæc omnia partim ex eodem fundamento & quod jecur principium ſit venarum ſunt petita, partim & potiſſimum quidem non minus aliorum viſcerum & præſertim cordis quam hepatis temperamentum habent cauſſam. Venarum quoque aliorumque vaſorum vel amplitudo vel anguſtia non eſt ſimpliciter indicium caloris vel magni vel exigui: niſi quod ſanguine magis incenſo & rarefacto venæ dilatari & intumeſcere ſoleant; ceu fit à motu, ira, æſtuante aëre vel aqua, calore febrili, ſimilibusque aliis cauſſis.

XV. ID CERTVM eſt, quibus hepar eſt *Calidum*, in iis plus bilis gigni, unde totum corpus redditur calidius: multum quoque ſitiunt: ſuntque proni ad iram. Facies etiam rubicunda

cunda & puſtuloſa iis reddi ſolet, quamquam non à ſola hac cauſſa. Sunt item obnoxii morbis calidiſſimis. Iuvantur demum cibo potuque frigido.

XVI. *Frigidum* quibus eſt, in iis nihil horum, ſed contraria potius obſervantur.

XVII. *Siccum* peculiaribus ſignis non indicatur: niſi quod ubi ſimul calidius fuerit, plus adhuc bilis gignatur, ſitisque major ſit, ac reliqua modo memorata magis adhuc notentur.

XVIII. Similiter & *humidum* propriis indiciis vix innoteſcit. Quæ enim afferri ſolent, potius communia, reliquorumque viſcerum ac ſanguinis temperamentum non minus arguentia ſunt ſigna.

XIX. Porro LIEN *calidus* facit ventriculum calidum & ſiccum & propterea ſiticuloſum.

XX. *Frigidus* eundem humidum.

XXI. *Siccus* itidem ſitibundum: idque adhuc magis, ſi ſimul eſt calidus.

XXII. *Humidus* in eodem humores abundare: & ſi præterea obſtruitur atque intumeſcit, homines ſalivatores reddit: cutisque, præſertim in facie, colorem plumbeum ſeu lividum.

XXIII. Jam VENTRICULUS *calidus* bene citoque concoquit, etiam duros ac digeſtu difficiles cibos: molles contra & delicatos facile corrumpit, pingues autem in bilem: facit quoque homines bibaces.

XXIV. *Frigidus* tarde ac male coquit, etiam temperatos cibos: eosdem corrumpit in acorem: appetit tamen cibos magis quam calidus: ab aſſumto cibo gravitas quædam in eo percipitur cum difficili reſpiratione ac fluctuatione à flatibus orta, item aliquando nauſea vel etiam vomitus.

XXV. *Siccus* potiſſimum indicatur appetitu potus: ſine quo non recte quoque concoquit, dum modo tamen is

pitiſſando potius quam ingurgitando ſumatur: plerumque item moleſtia quadam afficitur.

XXVI. *Humidus* quaſi fugit potum: non bene itidem concoquit: nauſeam quoque vel aliam moleſtiam plerumque ſentit.

XXVII. *Temperatus* temperatos cibos appetit, iisque juvatur: ab intemperatis contra facile offenditur & langueſcit.

XXVIII. Poſtremo RENVM temperamentum ex hiſce ſignis innoteſcit. *Calidi* videlicet, quod fortiter ad ſe rapiant ſerum, faciunt mictionem crebram: obnoxios item homines renum inflammationibus; febribusque *μαρασμώδεσι*, qualis eſt tabes renalis & dorſalis; nec non calculo generando: ut & ſalaciſſimos, propter vicinitatem ſeminalium vaſorum.

XXIX. *Frigidi* contra non avide trahunt ſerum, unde parca urinæ redditio: faciunt etiam ut veneris cupiditas aut parva aut nulla excitetur.

XXX. Adduntur hiſce poſterioribus ſignis urina flatulenta & bullas habens, iſchuria quædam, mictio cruenta, morbus pilaris, & profluvium quoddam muliebri ſimile.

XXXI. Sed hæc quidem controverſa ſunt, meritoque ambigitur, an frigiditatem ſive caloris defectum ſignificent. Partim enim calorem quoque non minus, vel aliam atque quæ à temperamento, præſertim renum, proveniat, cauſſam habere poſſunt: partim laxitatem potius vel ipſorum renum vel ſaltem vaſorum, adeoque humidius temperamentum immo intemperiem, arguunt.

CAPVT XI.

Vnde generationi dicatarum partium temperamenta æſtimentur.

ILlis proxime junguntur generationi dicatarum partium tempera-

peramentum denotantia ſigna. In quibus TESTES præ aliis nec ſine cauſſa potiſſimum attenduntur.

II. Quibus igitur ii *Calidi* ſunt, cito incipiunt libidinari: cito quoque pubeſcunt & alias pilis veſtiuntur: ſunt præterea perpetuo per omnem vitam libidinoſi: multam inſuper ſobolem generare dicuntur, eamque præcipue maſculam.

III. *Frigidi* faciunt omnia contraria: ut tamen ſemen adhuc ſit fœcundum. Quod ſi enim vehemens inſuper ſit frigiditas, ſterilitatem inducit.

IV. *Sicci* ſignificari cenſentur craſſiori ſed pauco ſemine.

V. *Humidi* copioſo ſemine ſed aquoſo. Vtrumque tamen intra latitudinem ſanitatis, & fœcundum adhuc eſſe debet.

VI. *Calidi* & *ſicci* citius, quam calidi tantum, ut venus appetatur facere perhibentur: citius item & copioſius ut pili naſcantur: utque tales homines citius fœcundi ſint: & mares potius quam fœminas progenerent: ut tamen à venere valde lædantur propter auctam ſiccitatem.

VII. *Calidi* & *humidi* quibus ſunt, dicuntur tardius libidine tentari: tardius item pilos proferre: crebrius tamen ob ſeminis copiam in venerem agi: fœcundiores etiam eſſe iis, quibus calidi tantum ſunt: fœminas præterea procreare: manifeſte demum lædi abſtinentia veneris ob detenti ſeminis corruptionem.

VIII. *Frigidi* & *ſicci* quibus ſunt, dicuntur ſemen paucum habere, ſed tamen quod ſit flatulentum: unde melancholici quoque eſſe feruntur, qui ſimul ſint libidinoſi.

IX. *Frigidi* & *humidi* tardiſſime cenſentur ciere libidinem: quibus tales ſunt eos glabram pubem habere: raro quoque gignere ſobolem, eamque non niſi fœmininam: ſemen item habere aquoſum: & crebriori veneris uſu vehementiſſime lædi.

X. VERUM notari debet *primum*, quædam ex hiſce commemoratis ſignis proprie nihil aliud niſi abundantiam vel inopiam ſeminis aut multitudinem vel paucitatem ſeminalium vaſorum indicare, quum in ſpadonibus quoque aliquando obſerventur.

XI. *Deinde* licet generatio prolis omnino ſine teſtibus fieri nequeat, utpote quorum proprium opus ſit fœcunditatem ſemini largiri: tamen ejus defectum neutiquam argumentum eſſe frigiditatis, quum ſæpe parce venere utentes numeroſam habeant ſobolem, libidinoſis contra ea prorſus carentibus.

XII. *Tertio* quæ in ſignum ſiccioris vel humidioris temperamenti teſtium afferuntur eſſe incerta, nec minus vel ſeminis vel ceterarum ad generationem proprie pertinentium partium temperamentum declarare.

XIII. Similiter *quarto* perquam dubia eſſe quæ in ejusdem temperamenti æſtimationem è ſobolis alterutrius ſexus procreatione petuntur.

XIV. TAMETSI vero quæ de teſtium temperamentis allata ſunt utrumque ſexum concernunt, tamen potiſſimum ad mares duntaxat pertinent, quod eorum ſemen unice facultatem effectricem obtineat, unde manifeſtum quoque diſcrimen teſtium in utroque ſexu.

XV. In fœminis igitur præcipue conſiderandus eſt VTERVS, ita tamen ut ſimul ſeminis & ceterarum generationi dicatarum partium conſtitutio ſub eo quadamtenus comprehendatur.

XVI. *Calidi* vero uteri ſigna ſunt: cito menſtruum fluxum habere: cito pubeſcere: magna ad libidinem proclivitas: copioſa ſoboles: bene ſe habere tempore geſtationis.

XVII. Adduntur ab aliis liberorum maſculini ſexus generatio, & alia quædam. Sed de quibus merito dubitatur,

tur, quum heic ſimul ad mares & reliquam conſtitutionem ſit reſpiciendum.

XVIII. Quod ſi tamen magna caliditas adſit, qualis eſt in viraginibus dictis, quædam è notatis ſignis quidem deprehenduntur, ſed non omnia.

XIX. Tales enim vel non concipiunt, vel non niſi raro fœtum ſervant: quod in iis ſanguis immo ſemen ipſum nimis ſit calidum, nec maſculino reſpondeat, uteri quoque vaſa ſint anguſtiora, & ſanguis juſto craſſior.

XX. *Frigidum* ex adverſo uterum ſignificant omnia calidi notis contraria.

XXI. *Siccus* quibus eſt, iis aliquanto parcius ac tardius fluunt καταμήνια: citius tamen concipiunt; præſertim ſi ſimul eſt calidus: ſed difficilius pariunt.

XXII. *Humidus* autem facit eadem citius & copioſius prodire; præſertim ſi calidus una fuerit: facilius item parere.

XXIII. Ex quibus compoſita temperamenta facile jam amplius poſſunt dijudicari.

XXIV. Præter hæc tamen ſæpe tum alias tum inprimis circa conceptum & geſtationem & partum multa graviſſima ſymptomata ſexus ille patitur, etiam utero bene temperato, quorum proinde cauſſa vel ab ejus mala conformatione vel alio morbo organico vel aliunde peti debet.

CAPVT XII.

Cerebri temperamenta quibus è ſignis innoteſcant.

ILlas excipiunt ſenſibus exercendis deſtinatæ partes. Quarum princeps eſt CEREBRVM.

II. Quod ipſum qui *Temperatum* habent, iis caput cum omnibus partibus ſuis concinne conformatum pulcreque proportionatum eſt: ſenſus itidem tam externi quam interni, ut & ratio ſeu mens, firmi & expediti; ſomnus & vigiliæ

moderatæ; excrementorum per palatum & nares & aures parca ſeparatio: cutis faciei coloris vividi quidem, ſed tamen non rubicundi: capilli & in colore & ſubſtantia & copia mediocres: etiam facile fert externas, aëris præſertim, injurias, niſi nimis violentæ ac diuturnæ fuerint.

III. *Calidum* ſignificat cranium magnum, reliquo tamen corpori proportionatum: ſenſus vegetiores quam in cerebro temperato, ratio quoque acris, ſed memoria aliquanto labilis ob celerem motum phantaſiæ: auctoque calore temparamentum tale facit præcipites in actionibus & audaces: ſomnus præterea talibus eſt brevis & è quo facile excitantur: excrementa capitis pauca: cutis faciei rubicunda, venæque tumidæ, præſertim in oculis: obnoxii ſunt hæmorrhagiæ narium: capilli cito creſcentes & denſi, colorisque nunc magis nunc minus nigri, pro diverſitate caloris: graviter denique tales offenduntur ab externis injuriis, præſertim ab æſtu aëris, potu generoſo, ſimilibusque aliis.

IV. *Frigidum* habentibus caput fere magnum eſt cum inconcinna figura: ſenſus omnes torpent: ii difficulter aliquid memoriæ mandant: ſunt in ſententia pertinaces: ſomniculoſi: item κεϱόμυξοι, quomodo eleganter è Galeni *l. 6 de meth. med. c. 3* eos vocat Hofmannus, id eſt, muccoſi arietum inſtar, iisque qui emunctæ naris dicuntur plane oppoſiti; ceu Fabius Pacius *commentar. in h. l.* vocem illam exponit: color porro faciei lividus eſt, & cutis inflata: capilli ſunt albi vel ruſi, tardeque barba provenit: ab externo frigido valde læduntur tales, ſuntque catarrhoſi.

V. *Siccum* declarat caput argutum cum commoda figura: ſenſus externi perſpicaces, & interni perfecti: unde mens ſapiens, ſi ſimul calor adſit: tales præterea vigiles ſunt & acres: non abundant excrementis: cutis faciei ad tactum dura eſt: capilli quoque ſunt duri, nigri, copioſi, ſed cito

frontem

frontem deſtituentes: læduntur calidis & frigidis, ſiccitate videlicet aucta.

VI. *Humidum* quibus obtigit, iis caput eſt magnum & deforme: ſenſus externi omnes hebetes ſunt, & eorum organa mucoſa: nec minus interni tales: unde debilis quoque ratio: abundant excrementis: ſomniculoſi ſunt: cutis capitis mollis eſt & inflata: capilli tarde proveniunt, ſuntque promiſſi, albi, molles inſtar lanæ, non facile decidentes: tales ab externis non facile læduntur, quod ſenſus ſint obtuſi.

VII. *Calidum* & *ſiccum* indicat capitis concinna figuratio: ſenſus omnes vegeti, & mens acris: parcus ſomnus: pauca excrementa: capilli duri & nigri & copioſi & criſpi: ut & reliqua quæ tum calidi tum ſicci cerebri ſunt ſigna.

VIII. *Calidum* & *humidum* ſignificat capitis vel commoda vel incommoda conformatio, prout hæc vel illa qualitas alteram ſuperaverit. Si utraque debilis fuerit, tales parum differunt ab iis quibus temperatum eſt cerebrum. Sin calor prævaluerit, ſenſus tam externi quam interni vegeti ſunt, colorque faciei floridus. Sin humiditas, ſenſus minus bene ſe habent, unde ſomnia turbulenta & gravia. Excrementa quoque pauca calorem, multa humiditatem prævalentem indicant. Eadem eſt ratio ſomni & vigiliarum. Præterea in tali temperamento cutis capitis mollis & alba eſſe ſolet, humiditate præſertim prævalente: capilli porro ſubflavi & recti ob eandem cauſſam: melius demum ſeſe habent borea, pejus auſtro flante.

IX. *Frigidum* & *ſiccum* ſine dubio comitatur capitis conformatio minus bona: ſenſus ſunt minus expediti; niſi quod quidam præcocis ingenii ſint, (ceu quidem nonnullis viſum, namque mihi tales potius ſunt calidi,) in quibus videlicet

ſicci-

ſiccitas ſuperat frigiditatem: excrementa non deſunt; quorum minus colligitur, ſi ſiccitas; plus, ſi frigiditas ſuperet: facies plerumque decolor eſt, & cutis ejus exſucca: capillitium tenue, ac præpopera canities: id habentes à frigore maximopere læduntur.

X. *Frigidum* & *humidum* denique facile itidem judicatur ex utroque ſimplici temperamento. Caput videlicet magnum eſt & deforme: abundat excrementis: unde tales ſunt ſtupidi, ſomnolenti, catarrhoſi. Quæ omnia multis modis adhuc augentur à ſimilibus externis.

XI. NOTARI vero debet *primum*, ſignis illis addi ſolere locomotivæ quoque facultatis conſtitutionem, quod ea vel promta ſit & expedita vel ſegnis & languida, prout ſenſus videlicet ſeſe habent. Ita ubi cerebrum temperatum eſt, motum & ſpeciatim ingreſſum neque præcipitem neque tardum eſſe: ubi calidum, motum citatiorem: ubi frigidum, motum tardum: ubi ſiccum, motum validum: ubi humidum, motum debilem: & ita in temperamentis compoſitis talem atque talem pro ſua cujuscunque natura.

XII. At quoniam valde adhuc ſaltem controverſum eſt, an facultas iſthæc vel omni vel quadam ex parte cerebro debeatur, iſtud quidem inter ejus ſigna minus commode admittitur. Nam quod ſtupidi ſint ſimul ſegnes ac deſides, eſt à pituitoſa maſſa ſanguinis. Vt alia contrarium potius ſuadentia nunc non commemorem, vel adducta agitem.

XIII. *Deinde* quoque monendum, capitis figuram non parum quidem ad cerebri temperamentum æſtimandum conferre, ſolam tamen non ſemper ad id ſufficere: quum non raro ubi majus eſt caput, id, quod parvum ſignificare ſolet, adſit; & contra ubi minus, id quod magnum. Ideoque ſaltem unum & alterum è præcipuis ſignis ſimul attendi debet.

XIV. Minus adhuc *tertio* certum ſignum temperamenti cerebri

cerebri eſt faciei color & conſtitutio, ſed ſæpiſſime potius ventriculi, pulmonum, immo totius corporis habitus, ac maſſæ ſanguineæ.

XV. Similiter *quarto* capilli non tam peculiariter cerebri, quam ſanguinis & ſæpe viſcerum temperamenta ſignificant. Argumento eſt, quod quales in capite, tales in aliis etiam corporis partibus ac regionibus pili naſci ſolent: ſive ſubſtantiam, ſive colorem, ſive copiam eorum ſpectes. Niſi quod in capite color eorum mutari ſoleat ab aëre externo & cultu, & in eo in homine quidem ſecundum naturam copioſiſſimus eſſe debeat pilorum proventus.

XVI. Certiſſima igitur ac nunquam fallentia cerebri temperamentum demonſtrantia ſigna è ſenſuum, præcipue internorum, ac mentis operationibus, vigiliarum item ac ſomni, ipſorumque inſomniorum quantitate ac qualitatibus, petuntur.

CAPUT XIII.

Quomodo ſingulorum externorum Senſoriorum temperamenta explorentur.

PRoxime diſpiciendum eſt de ſentiendi inſtrumentorum temperamentis indagandis. Tametſi enim cerebri conſtitutionem ipſa quoque ſentiunt, ſeorſim tamen iis peculiaria temperamenta competunt, quæ proinde propriis quoque ſignis produntur. Intelliguntur autem nunc externis ſolum ſenſibus dicata inſtrumenta. Nam interni potius ipſi cerebro ſunt infixi.

II. OCULUS igitur *Temperatus* ex his notis judicatur. Debet bene conformatus eſſe, & proportione capiti reſpondere: ſitum talem obtinere, ut nimis nec exſtet nec profundus ſit: objecta probe percipere: nec inſtabilis nec rigidus eſſe: habere vaſa non valde conſpicua: non facile lædi ab externis.

III. *Calidus* paullo major eſt, ut & eminentior: ſpiritibus turgidus: unde longius proſpicit, & exacte cernit: inconſtans ſive valde mobilis: vaſa habet conſpicua: pauca quoque vel nulla excrementa: facile læditur ab externis, qualia ſunt calida, acria, ſplendida.

IV. In *Frigido* ſunt omnia contraria.

V. *Siccus* non eſt magnus: clare videt: caret excrementis: facile quoque læditur ab externis, calidis præſertim & acribus: idque magis adhuc, ſi ſimul fuerit calidus.

VI. *Humidus* magnus eſt: & plerumque madidus.

VII. AVRIS autem *Temperata* itidem habet conformationem bonam: ſpiritus & aër, qui congenitus vel implantatus dicitur, (quamquam ut talis ſit non eſt neceſſum,) eſt purus: unde bonus auditus: pauca in auditorio meatu excrementa colliguntur: nec ſtatim læditur à quocunque vento.

VIII. *Calida* ſpiritus & aërem habet tenuiſſimum: unde ſubtilis auditus: calidis offenditur.

IX. *Frigida* tinnitibus obnoxia eſt: unde gravis auditus; præſertim ſi caput ſimul ſit pituitoſum vel ſeroſum: borea & euro flante valde læditur.

X. *Sicca* caret humoribus & ſibilis & excrementis: unde acutus auditus.

XI. *Humida* abundat excrementis: ſtrepitu vel ſibilo vel tinnitu infeſtatur, pro ſeroſorum vel pituitoſorum vel flatulentorum humorum diverſitate: unde gravis & difficilis auditus: à frigido & humido vento vehementer offenditur.

XII. NASVS porro, quatenus inſtrumentum odoratus eſt, ut bene olfacere poſſit, magis elatus quam depreſſus, utramque narem habere apertam, nec humoribus obſeſſus vel obſtructus eſſe debet.

XIII. *Temperati* igitur naſi ſignum, & quisnam odores omnes recte ac promte percipere queat, ex hiſce facile colligitur.

XIV. *Sic-*

XIV. *Siccus* itidem facile percipit ſenſibilia illa: idque adhuc magis, ſi ſimul eſt *calidus*.

XV. Qui vero difficulter vel vix ea ſentiunt, iis plerumque os cribriforme vel à pituita craſſa obſtructum eſt, vel una cum naſi membranis à defluentibus humoribus nimis madefactum, vel membranæ illæ eadem aliave de cauſſa nimis denſæ aut alias intemperatæ redditæ ſunt.

XVI. LINGVA quoque exquiſite *Temperata* facillime percipit ſapores, immo ſimplices etiam tactiles qualitates.

XVII. Exquiſitius adhuc, ſi *calidior* fuerit, item *ſiccior*. Similiter quoque tenera lingua, qualis peculiariter eſt delicatorum, iiſdem etiam vulgo vernaculo noſtro ſermone tribui ſolita.

XVIII. *Frigida* vero & inprimis *Humida* obtuſum habet ſenſum.

XIX. TACTVS denique (quam facultatem vulgo itidem, perperam tamen, à cerebro arceſſunt) ſenſorium ſi probe *temperatum* fuerit, exquiſite tactilia percipiuntur.

XX. Exquiſitius adhuc, ſi *calidius* & *ſiccius*, & ſimul tenerius fuerit.

XXI. *Humidum* vero laxum eſt, & propterea obtuſum habet ſenſum. Similiter item talem habet organum durum ac denſum.

XXII. Vnde facile cauſſæ dari poſſunt omnium differentiarum, quæ circa hanc ſenſitivam facultatem pro diverſitate ſingulorum hominum & utriuſque valetudinis tam in externis quam internis corporis partibus hoc ſenſu pollentibus deprehenduntur.

XXIII. POSTREMO de hiſce omnibus ſenſitivis facultatibus notandum eſt, tunc inſtrumenta illa optime temperata adeoque facultates eas perfectas eſſe, quando objecta ſua ita percipiunt, prout communi humanæ naturæ conveniens eſt.

XXIV. Nihil itaque integritati earum derogat, quod earum quædam in nonnullis brutis excellentiores ſint: nec earundem exceſſus in hominibus quibuſdam, quale eſt ex. gr. in tenebris videre.

XXV. Hoc enim ſingulare eſt, ac τερατῶδες quid refert: illud eorum naturæ proprium eſt & competit.

CAPVT XIV.

Quæ ſigna Sanguinis temperamentum oſtendant.

INquirendum nunc eſt in maſſæ SANGVINIS temperamenta. Nec enim ſufficit viſcerum temperamenta habere cognita, quum ipſemet ſanguis propter varias cauſſas, ab aëre præſertim, aſſumtis, motu vel quiete, animique affectibus petitas, ſubinde viſcera rurſus immutet, perinde ut illa ſanguinem generant atque perficiunt. Accedit, quod ſanguis ſæpiſſime ſit cauſſa morborum.

II. *Seroſus* igitur ſanguis valde eſt mobilis. Vnde quibus talis eſt facile incaleſcunt, & viciſſim facile refrigerantur: iiſdem animus item facile tam ad iram quam gaudium alioſque affectus concitatur, ſed facile rurſum ſedatur: phantaſia quoque in iis viget: qua de cauſſa non carent ingenio, nec ſomniis: memoria tamen iis aliquanto minus eſt firma. Cujus temperamenti plane gemina experimenta in ebriis obſervantur.

III. Hinc porro proni ſunt ad ſudorem, hæmorrhagiam, melancholiam, deliria: præſertim ſi adſit plethora, & nimio ſero maſſa ſanguinis abundet. Quorum ſpecimina ebrii non minus exhibent.

IV. *Pituitoſus* ſanguis quibus eſt, ii calido aëre juvantur, frigido læduntur: facultates omnes in iis torpent: ſuntque ſomniculoſi: ſolent etiam faciem habere pallidam.

V. Propterea proclives ſunt in ſoporoſos affectus, catarrhum.

tarrhum, tuſſim: & ſeorſim fœminæ in cachexiam & leucophlegmatiam.

VI. *Salſus* ſanguis indicatur præcipue macilentia & ἀτροφίᾳ corporis. Vrina quoque & excoriationes (quæ vocantur) ſive à ſcabie ſive ab alia cauſſa factæ prodere ſolent acrimoniam: ſudor item cuticulam lædens, & ipſa lintea corrodens.

VII. Obnoxii tales ſunt inprimis phthiſi, ſcorbuto, dentium dolori, ſcabiei.

VIII. *Bilioſus* ſanguis facit ut homines ſint calidi, expediti ad actiones & promti, iracundi, ingenioſi. Tales faciem ſolent habere cum virore pallidam.

IX. Facile afficiuntur febribus tertianis & continuis, nec non ictero.

X. *Mixtus* autem ex hiſce diverſis humoribus ſanguis non difficile judicatur, ad ſingula enarrata ſigna diligenter attendendo, item quinam ex iis præcipuus ſit, adeoque quodnam temperamentum tota maſſa quam maxime obtineat.

XI. *Temperatus* demum æſtimatur inde, quod omnium facultatum actiones mediocres ſint, nec in aliquo deficiant vel excedant. Tales etiam ſolent eſſe hilares, facieque florida.

XII. Nec temere morbis tentantur, niſi fortaſſis ephemera febri.

CAPVT XV.

Vnde corporis Habitus conſtitutio patefiat.

SEquitur CORPORIS HABITVS, qui vulgo ab aliis ejus tertia regio vocatur, opponiturque viſceribus aliiſque partibus in trino ventre contentis, adeoque cutim ac muſculos potiſſimum comprehendit.

II. Ejus autem conſtitutio *primum* deprehenditur contactu, calidæne ſint partes illæ an frigidæ, ſiccæ vel humidæ,

adeoque duræ vel molles, robuſtæ an flaccidæ. Et vero ſi cutis eſt calida, multo magis muſculi, quoniam partim ab his illa incaleſcit.

III. *Deinde* color attendendus: qui ſimul oſtendit humores, non duntaxat ſub eis contentos, ſed etiam alias in corpore vel abundantes vel prævalentes: inprimis autem ruber, albus, viridis, lividus, pallidus, citrinus, niger, vel ad eorum aliquem vergens.

IV. Pili *tertio* heic quoque ſignum præbent, non niſi quadamtenus tamen, utpote qui ſimul ſanguineæ maſſæ temperamentum declarant: quanquam pro diverſis cauſſis etiam externis & proventus & color eorum itidem variat: atque ita locorum in quibus naſcuntur temperamentum ex parte ſeorſim ii quoque ſignificant.

V. *Quartum* ſignum deſumitur à juvantibus & lædentibus: ſive ad calefactionem vel refrigerationem, ſive ad ſiccationem vel humectationem pertineant. Sunt autem affectiones habitus ab aëre externo, vel balneis, vel veſtitu & lectis, vel motu aut quiete, productæ.

VI. Alii videlicet ab his illisve facile offenduntur, alii diutius hæc illave tolerant, alii commodum quoque ab his illisve percipiunt. Ita quidam cito incaleſcunt, quidam tarde. Quidam mox delaſſantur, quidam ſero demum.

VII. Præter hæc *quinto* advertendum quoque, an oſſibus muſculi reſpondeant proportione & magnitudine & robore. Quæ partim à conformatione, partim à temperamento dependent. Sæpe quippe oſſium moli impares ſunt muſculi, quod vel nimis graciles & exſucci, vel nimis molles aut marcidi ſint: & è contrario toroſum & habitius corpus oſſa debiliora non ſufficienter ſuſtentant. Sub muſculis autem tendines etiam comprehenduntur.

VIII. Hinc alii diu ſtare, ire, ſaltare, brachia movere poſſunt:

poſſunt: alii non. Quæ diſcrimina paſſim & ſubinde obſervantur, etiam in ætatibus. Vnde alii infantes ac pueri cito incedunt, firmiterque pedibus nituntur: alii tarde, facileque labuntur.

IX. Exploratur autem id ipſum potiſſimum tactu, partim viſu.

X. Seorſim *ſexto* demum non minus inquirendum, quum corpus bifidum ſit, an utrumque latus æqualiter ſit temperatum, an minus.

XI. Id quod iiſdem modis cognoſcitur.

XII. Secundum naturam tamen dextrum latus aliquanto calidius eſt ſiniſtro: idque tum propter pulmonem in dextro latere majorem, tum propter hepar: quod præclare docet ampliſſimus Conringius noſter *l. de cal. inn. c. 20.*

XIII. Hac ſane quoque de cauſſa dextrum latus robuſtius eſt, & ab eo principium fit localis motus, & plerique homines dextra manu magis utuntur promtiusque agunt quam ſiniſtra.

XIV. Neque tamen ſcævolis eapropter ſiniſtrum latus calidius eſſe dextro eſt quod quis opinetur, ſed à communi hominum more illius diſceſſus aliæ ſine dubio ſunt cauſſæ.

CAPVT XVI.

Quomodo cognoſci poſſit, Totumne corpus æqualiter an inæ qualiter ſit temperatum.

PRæter illa omnia demum TOTIUS quoque CORPORIS temperamentum debet attendi, quum in utraque valetudine non unum indicans etiam inde petatur.

II. In quo ipſo definiendo tamen cavendum eſt, ne quis error committatur, isque geminus ac valde communis.

III. *Primum* videlicet à multis id unum idemque cenſetur eſſe cum maſſæ ſanguineæ temperamento.

IV. Quod

IV. Quod ipſum quidem ad totius corporis temperamentum quam maxime pertinet, & omnino diligenter debet obſervari; tamen id integrum nequaquam conſtituit.

V. Ideoque alii quidem homines ſunt linioſi, alii ſeroſi, alii pituitoſi, alii aliter ſe habent, ſi de maſſa ſanguinis agitur quæſtio.

VI. Nullus tamen homo propterea commode dicitur habere temperamentum linioſum, vel pituitoſum, vel ſanguineum, vel ab humoribus denominatum aliud: tametſi alius humor & idcirco alia ſanguinis maſſa eſt calida, alia frigida: quod bene quoque notavit Fernelius *l. 3 phyſiol. c. 11.*

VII. Alii *deinde* totius temperamentum videntur idem habere cum temperamento habitus.

VIII. Sed quod itidem totius quidem inſignis eſt portio, totum tamen neutiquam abſolvit; ceu ex præcedentibus conſtat.

IX. SICVT igitur ſimilarium partium temperamentum nihil aliud eſt, atque complexus omnium qualitatum, quæ unicuique naturaliter tam ratione miſtionis quam citra eam competunt & inſunt: ſic etiam totius corporis temperamentum conſtat è ſingularum partium tum propriis tum communi ſive influente temperamentis ſimul ſumtis.

X. Vnde totum corpus æqualiter eſt temperatum, quando ſingula viſcera, ſenſoria, maſſa ſanguinis, habitus corporis, adeoque omnes ejus partes ſunt temperatæ, ita ut nullius qualitatis prædominium in ulla notabile ſit, præterquam ſingulas naturaliter decet.

XI. Inæqualiter autem temperatum dicitur, quando vel una, præſertim è nobilioribus & præcipuis partibus, citra vel ultra mediocritatem talis aut talis eſt.

XII. Utrum vero adſit, *primum* cognoſcitur è diligenti attentione ad uſus & actiones, quibus præſtandis ſingulæ partes ſunt dicatæ.

XIII. *De-*

XIII. *Deinde* non minus advertendum, quibus rebus ſingulæ vel juventur vel offendantur.

XIV. Id quod maxime innoteſcit diſtinctim hactenus tradita ſigna probe obſervando & inter ſeſe conferendo.

XV. Ita multis frigidior eſt ventriculus, at calidius cerebrum. Vnde fit, ut dum generoſus potus ventriculo prodeſt, cerebro obſit.

XVI. Quod ipſum proinde indicat talem potum per vices eſſe dandum, ut ſimul utriusque partis ratio habeatur, & utrique bene conſulatur.

XVII. Æſtimatio tamen iſthæc non temere eſt pronunciãda, priusquam juſta facta ſit inquiſitio. Alias enim error, isque ſæpe non parum noxius, facile committitur.

XVIII. Cujusmodi eſt quod vulgo, quibus calidius hepar obtigit, ventriculus frigiditatis incuſatur, ex illo ſolo vano argumento, quod iſtius major caliditas hujus minorem provocet: quum potius eopſe hic quoque calidior reddatur; quod vel una ſitis identidem manifeſto demonſtrat.

CAPVT XVII.

Epicriſis temperamentorum bonitatis & præſtantiæ ratione inſtituitur.

RESTAT jam diffiniendum, quænam è traditis tum partium tum totius temperamentis magis, quænam minus præſtent.

II. Etenim hoc quoque noviſſe permultum intereſt in utriusque valetudinis juſta curatione, nec minus in prædictione inſtituenda.

III. Eſt autem conſiderandum, quodnam tum optimum tum præſtantiſſimum ſit temperamentum tam præcipuarum partium quam totius.

IV. Optimum vero vocatur, quod maxime durabile

F eſt,

eſt, adeoque quo quando præditæ ſunt partes vel totum, diutius vivunt ac valent ſeriusque corrumpuntur.

V. At præſtantiſſimum, quod facit ut facultates maxime vigeant, & eapropter actiones promtiſſime & perfectiſſime edantur.

VI. Ea videlicet ratione optimum & præſtantiſſimum diſtinguere nunc viſum eſt. Alias enim non differunt, ſed potius unum idemque ſunt.

VII. ET Cordis quidem temperamentum optimum eſſe quod à temperato proximum eſt, calidum videlicet & humidum, jam ſupra eſt oſtenſum.

VIII. Idem de reliquis viſceribus ut & generationi dicatis præcipuis partibus affirmandum.

IX. Vita videlicet unice conſiſtit in calidi conſervatione.

X. Quod ipſum tametſi de calido innato adeoque temperamento communi totius ſive influente proprie intelligitur, tamen ſimul etiam ad proprium calidum ſingularum partium quadamtenus pertinet.

XI. Nec enim hoc pereunte vel perdito illud amplius locum invenit, certe nihil prodeſt, ſed fruſtra accedit.

XII. Et viciſſim quando illi recipiendo vel fovendo viſcus quodpiam minus eſt aptum, hoc ſolum vitæ & conſervationi ejus conſulere nequit.

XIII. Nimia vero humiditas facit viſcera nimis laxa & ut facile corrumpantur.

XIV. Quemadmodum nimia ſiccitas eadem vel ſcirrhoſa vel marcida reddit, adeoque licet corruptioni non tam cito obnoxia, tamen calidi influentis hoſpitia minus idonea.

XV. Optime proinde viſcera ſeſe habent, quum probe quidem firma ſunt & ſolida, tamen ſimul etiam ſucculenta.

XVI. Cerebri temperamentum optimum eſt calidum & ſiccum: peſſimum frigidum & humidum.

XVII. Hoc

XVII. Hoc enim cito poteſt corrumpi: idque adhuc magis, ſi calor deficiat, qui nimiam humiditatem quadamtenus corrigere ac digerere poſſit.

XVIII. Ceterorum ſentiendi inſtrumentorum optimum temperamentum eſt, quod ad mediocritatem proxime accedit, quæ facit ut partes ſpeciatim temperatæ vocentur.

XIX. Maſſæ ſanguinis temperamentum optimum eſt calidum, & quod ob multas terreſtres partes eam fibroſam & propterea quodammodo ſiccam ſive ſero non abundantem reddit: quæ tamen videlicet ſimul alterius qualitatis ſit expers.

XX. Bilioſus enim facile ſupra modum accenditur, item ſalſus, pituitoſus putreſcit, ſeroſus alias alteratur. Iſte contra qualem dixi, naturam ſuam maxime retinet.

XXI. Habitus porro corporis tum optime eſt temperatus, quando ita ſeſe potiſſimum habet, quemadmodum de viſcerum temperamentis jam fuit ponunciatum.

XXII. Totum denique corpus illud erit optime temperatum, quod non quidem prorſus æqualiter, interim tamen nec valde inæqualiter, ſed ita, ut viſcera, generationi dicatæ partes, cerebrum, ſenſoria reliqua, maſſa ſanguinis, habituſque corporis, ſingula quo definitum modo bene ſint temperata.

XXIII. JAM facultates & actiones præſtantiſſimas reddit id temperamentum, quod præ aliis excellit.

XXIV. Tale vero neutiquam eſt mediocre; quod quando partes vel totum corpus habent, peculiariter temperata vocantur. Ab illo enim itidem non niſi mediocria proficiſci poſſunt.

XXV. Maxime igitur excellit calidum. Calor quippe omnium aliarum qualitatum eſt efficaciſſimus & δραστικώτατος.

XXVI. Facultates proinde quoque & quæ ab iis eduntur actiones præſtantiſſimas facit temperamentum calidum.

XXVII. Id quod etiam perpetuus uſus docet, ſive viſcera & quæ iis accenſentur, ſive cerebrum & ſenſoria, ſive ſanguinem, ſive corporis habitum, ſive totum denique, ſingulas item vel omnes quibus illa dicata ſunt facultates, intuemur.

XXVIII. Quod ipſum non minus itidem manifeſto obſervatur pro omnibus illis diffierentiis, quæ temperamenta nunc magis nunc minus calida reddunt, ætatis videlicet, aëris, aſſumtorum, vitæ generis, motus vel quietis, aliorumque, tum quæ in diæteticis conſiderantur, tum quæ cap. III jam ſunt notata.

XXIX. Tametſi vero calidum temperamentum eſt præſtantiſſimum, tamen id ſub latitudine quadam debet intelligi. Viſceribus enim & ſanguini maximus competit calor: ſenſoriis autem, & inprimis tactus, item menti, potius moderatus.

XXX. Quod ad ceteras autem qualitates pertinet, cor & reliqua viſcera cum generationi dicatis partibus præſtantiſſimum temperamentum habent id quod optimum fuit pronuntiatum, ut videlicet firma ſint ac ſolida, ſimul tamen ſucculenta, hoc eſt, nec arida, nec flaccida. Ita namque officio ſuo quam maxime ſunt idonea.

XXXI. Cerebrum humidius phantaſiæ aptius eſt, ſiccius memoriæ. Hoc tamen illo præſtat, eſtque mentis etiam operationibus magis accommodum.

XXXII. Oculus inter ſiccitatem & humiditatem medius ferme præſtantior eſt, ita tamen ut quadamtenus magis ſiccus quam humidus ſit.

XXXIII. Auris ſicca præſtantior eſt quam humida.

XXXIV. Idem de naſo quatenus ſenſorium eſt affirmandum.

XXXV. Lingua ſicca magis ſapit quam humida, dummodo tamen non ſit craſſa.

XXXVI. Organa tactus tanto exquiſitius ſentiunt, quan-

quanto temperatiora & teneriora fuerint. Vnde delicatis exquiſitiſſimus hic ſenſus.

XXXVII. Sanguinis maſſa fibroſa ad corporis robur maxime facit: ſubtilis autem mentis operationibus aptior eſſe creditur. Quod tamen experientiæ perpetuæ minus conſentaneum eſt.

XXXVIII. Habitus corporis quemadmodum definitum eſt optime temperatus ad actiones etiam edendas quam maxime valet.

XXXIX. Vnde jam conſequens eſt, totius aliquatenus inæquale temperamentum facultatum vigori maxime eſſe accommodum, & propterea præſtantius eo, quod æquale proprieque temperatum dicitur.

XL. DEBET tamen heic *primum* ſimul attendi ætas. Corpora enim quæ creſcunt etiam ſolidiſſimas partes quodammodo molles habere debent. Alias augmentum earum impeditur.

XLI. Non minus *deinde* ſexus etiam habenda eſt ratio. Sicut enim marium corpus natura calidius eſt ac ſolidius: ſic fœminarum minus calidum, præterea humidius ac mollius.

XLII. Quo gemino diſcrimine notato præſtantiſſima tum partium tum totius temperamenta cenſenda ſunt, quæ facultatibus exercendis ita ſunt apta, prout uniuscujusque & ætatis & ſexus natura requirit.

XLIII. Differentiis autem iſtis una conſideratis indeque comparatione facta illud demum ſimpliciter omnium præſtantiſſimum temperamentum fuerit, quod in maribus, & illa quidem ætate, qua facultates omnes maxime vigent, reperitur.

CAPUT XVIII.

Quotuplicia ſint & alias in adverſa valetudine & ſeorſim hoc loco obſervanda ſigna.

HActenus conſiderata ſunt ſigna omnium tum quæ partibus tum quæ toti corpori humano competunt temperamentorum, intra latitudinem ſanitatis tamen conſiſtentium. Nunc ad illa progrediendum, quæ in adverſa valetudine obſervari debent.

II. Eſt autem *primo* morbus vel externus vel internus.

III. E quibus ille ſtatim ſenſibus manifeſtus eſt, nulla ſignorum notatione vel collatione ad ſui cognitionem indigus.

IV. Hic per certa ſigna declaratur, quæ tamen ſimul externe quoque quadamtenus numquam non deprehenduntur.

V. Vocantur autem ſigna illa morbum indicantia παθογνωμονικά.

VI. Quæ quamdiu non obſervantur vel certo obſervari nequeunt, tamdiu quoque de morbo vel quis ille ſit nihil poteſt definiri.

VII. *Deinde* ſigna illa ſunt vel communia pluribus morbis vel ſingulis propria.

VIII. Quorum illa duntaxat valetudinem læſam, hæc ſimul qua ſpecie morbi monſtrant, διαγνωστικά nominata.

IX. Non ſufficit autem prius illud noviſſe, niſi poſterius quoque conſtet. Alias enim curatio recte nequit inſtitui.

X. *Tertio* præterea non ſatis eſt hæc obſervare & dijudicare, ſed attendenda quoque ſunt ſigna morbi eventum prædicentia, προγνωστικά & προῤῥητικά eapropter nuncupata.

XI. Quæ ipſa *quarto* rurſus differunt, prout morbus vel diuturnus vel acutus fuerit.

XII. Quum-

XII. Quumque acuti morbi periculoſiores ſint diuturnis, quam maxime in iis diligenter ad illa ſigna debet attendi, è quibus de morbi exitu judicium fieri poſſit. Vnde criſis criticique dies acutis proprie ſunt dicati.

XIII. NEC tamen omnis generis ſigna hujus loci eſt conſiderare.

XIV. Nam *primo* diagnoſtica & unicuique morbo propria ſigna traduntur ubi de morbis ipſis agitur, utpote quæ ad morbos eorumque naturam pertinent, & ab eorum cauſſis una proficiſcuntur.

XV. *Deinde* nec omnia ſigna, ſive communia ſive propria ſive prognoſtica ſint, quæ quamlibet actionem facultatemque læſam proprie denotant, huc pertinent, ſed itidem ad pathologiam.

XVI. Illa *tertio* tamen heic veniunt in contemplationem, quæ communiſſima ſunt, totiusque ſalutem ac vitam concernunt.

XVII. Præterea *quarto* illa conſiderare nunc oportet, quæ tum ab externo habitu corporis tum & præcipue quidem à facie ejusque partibus ut & ore deſumuntur.

XVIII. Similiter *quinto* de iis etiam debet agi, quæ ab xcretionibus indicantur.

XIX. Hæc omnia quippe notata uſum habent non duntaxat in morborum curatione, vel ab iis præſervatione, immo in bonæ valetudinis exacta cognitione; ſed quam maxime quoque in acutorum dijudicatione & de iis prædictione.

XX. Quod ipſum tamen non niſi generatim tradendum eſt, nullatenus ad ſingulas morborum ſpecies deveniendo.

CAPVT XIX.

Quid Criſis ſit & quot ejus differentiæ.

QVandoquidem vero inter hæc ſigna peculiariter quoque criti-

critica ſnut obſervanda, priusquam ſinguli fontes ſive loca ſignorum huc ſeorſim pertinentium ſpeciatim tradantur, de criſi in ſe ſpectata ut agatur res ipſa poſtulat.

II. Quumque variæ ſint vocis κρίσεως acceptiones in antiquis Medicorum ſcriptis, de quibus Foëſius in *Oeconomia Hippocratis*, Andreas Laurentius *l. 1 de criſib. c. 2*, Proſper Alpinus *l. 6 de præſag. vita & morte c. 6*, alii: tamen ea quam maxime obtinuit, ut per κρίσιν intelligatur morbi repentina mutatio vel ad ſanitatem vel ad mortem, item (quod addendum eſſe mox patebit) vel in melius vel in deterius.

III. Quo ipſo ſimul differentiæ ac ſpecies ejus continentur. Eſt enim criſis alia perfecta, alia imperfecta: & rurſus utraque duplex, ceu modo dictum.

IV. *Prima* videlicet eſt perfecta ſalutaris, quæ integram dat ſanitatem, ſeu liberationem ab illo videlicet acuto morbo, quo tum quispiam laboravit; utut priſtinæ vires non protinus ſimul reſtituantur. Quæ quidem ſex requirit conditiones. Etenim *primo* debet indicari bonis ſignis, quæ coctionis ſigna dicuntur: *ſecundo* debet eſſe manifeſta, id eſt, cum ſatis copioſa excretione vel abſceſſu: *tertio* debet critico die fieri: *quarto* debet eſſe fida, in qua videlicet nihil reliquiarum morbi nec in eum relapſus ullus metus ſuperſit: *quinto* debet eſſe ſecura, id eſt, ſine periculoſis ſymptomatibus & cum tolerantia ægroti fieri: *ſexto* debet tam morbo quam naturæ ægroti convenire.

V. *Secunda* eſt perfecta letalis, quæ habet perfectæ ſalutari criſi contraria omnia.

VI. *Tertia* eſt imperfecta ad melius, quæ non omnino quidem tollit morbum, tamen eum allevat, facitque ut facilius is feratur. Eſt autem talis, quando vel unum ſex iſtorum requiſitorum deſideratur.

VII. *Quarta* eſt imperfecta ad deterius, quando vel ingraveſ-

graveſcit is ipſe morbus, vel indicatur eum in alium & quidem graviorem mutari.

VIII. Ex quibus omnibus præterea *primo* conſtat, talem criſin nonniſi acutis morbis proprie convenire. Tametſi enim in diuturnis quoque de morbi eventu prædictio poteſt inſtitui, tamen non derepente, neque certis duntaxat diebus, ſed ſenſim fit ea mutatio, immo in eodem ſtatu per longum tempus multi morbi manent. Hinc etiam ſæpenumero in diuturnis magis, in acutis minus certæ ſunt prædictiones.

IX. *Deinde* ſimul inde liquet, criſin illam peculiariter dictam inſtitui non poſſe niſi in iis morbis, qui ab humoribus producuntur.

X. Item *tertio* in iis tantum, qui per excretionem vel abſceſſum judicantur.

CAPVT XX.

Quinam & quotuplices ſint dies critici.

VIdendum jam, quis criticus dies ſit, quid ad eum requiratur, quotuplex item, & quis præcipue ſit obſervandus.

II. Criticus igitur dies generatim loquendo eſt is qui quidpiam decernit, quo videlicet aliquid de morbo dijudicari poteſt. Id quod quovis die fieri poteſt, etiam non critico ſtricte nominato.

III. Speciatim vero dicitur is, qui frequenter & ſecure decernit, cum excretione vel abſceſſu. Atque ita peculiariter ſalutari duntaxat judicio criſis appellatio tribuitur.

IV. Conſtat autem medicus & criticus dies viginti quatuor horis æquinoctialibus, adeoque idem habet temporis intervallum cum die naturali dicto.

V. Vnde toto illo tempore criſis fieri poteſt, eſtque integer

teger dies criſi dicatus: etiamſi nunc in principio, nunc in medio, nunc in fine ejus diei criſis ipſa contingat.

VI. Quum vero ab aliis hoc ab aliis illud naturalis diei principium conſtituatur, Medici diei initium ab ea fit hora, qua ægrotus manifeſte laborare cœpit.

VII. Præterea dies ille in quatuor potiſſimum partes dividitur, matutinum, meridianum, veſpertinum, nocturnum tempus.

VIII. Dicunturque quatuor anni partibus tempora illa reſpondere; matutinum videlicet veri, meridianum æſtati, veſpertinum autumno, nocturnum hiemi.

IX. QVANDOQVIDEM porro dies illi non omnes æqualem vim habent, & ex aliis plus ex aliis minus licet judicare, propterea diverſæ differentiæ & genera eorum conſtituuntur.

X. Quidam videlicet ſunt vere & perfecte critici, quidam indices, quidam intercidentes.

XI. Perfecte & abſolute critici, principes item aut radicales dicti, ita vocantur, quoniam quæ diebus iis contingunt criſes, omnes perfectæ criſis notas habent.

XII. Debet ea quippe bonis ſignis indicari, manifeſta, fida, & ſine periculis eſſe, ceu ex præcedentibus jam conſtat.

XIII. Tales autem dies ſunt ſeptimus, quartus decimus, vigeſimus, qui morborum abſolute ac ſimpliciter acutorum longiſſimus eſt terminus, non tamen prorſus excluſo vigeſimo primo.

XIV. At morborum, qui ex decidentia dicuntur acuti, vere critici dies præterea ſunt vigeſimus ſeptimus, trigeſimus quartus, quadrageſimus.

XV. Poſt hunc vigeſimus quiſque dies eſt criticus, uſque ad centeſimum vigeſimum, qui criticorum dierum ultimus ſtatuitur.

XVI. In-

XVI. Indices dicuntur, quod criſis principe die futuræ ſigna in iis indicentur. Contemplabiles item vel internuntii, quod eorum obſervatio ad criſis præſenſionem medico neceſſaria ſit.

XVII. Sunt autem dies illi quartus, undecimus, ſeptimus decimus.

XVIII. Intercidentes vel intercalares vel interrepentes nominantur, quod inter vere criticos & indices intercalentur ſive intercidant. Provocatorii quibuſdam dicti, quod naturam proritent & ante tempus excernere cogant, adeoque imperfectam criſin faciant.

XIX. Sunt autem hi dies tertius, quintus, nonus, tertiusdecimus, decimus nonus.

XX. Reliqui dies omnes vocantur vacui, quia nec decernunt, nec indicant, nec provocant. Item medicinales, quia illis cathartica (quæ Græcis φάρμακα proprie nominantur, ſuntque vehementer purgantia,) citra periculum ægrotis dari poſſint. Quod tamen promiſcue de omnibus acutis morbis equidem non affirmaverim: in malignis certe uſus iſtorum potius eſt incommodus. Iſtorum inquam. Lenium enim longe alia eſt ratio. Dies autem illi quibuſdam quoque critici artificiales appellantur, quod arte medica morbos judicent & ſolvant.

XXI. Sunt igitur hi ſextus, octavus, decimus, duodecimus, ſextus decimus, octavus decimus. Quibus addendi fuerint, evacuationis præſertim inſtituendæ ratione, primus & ſecundus.

XXII. TAMETSI vero dies hoſce eorumque vim Hippocrates & Galenus in Græcis ſuis ita præciſe obſervaverunt, tamen apud Germanos noſtros aliasque gentes tam ſtabilis & certa eorum ratio non eſt.

XXIII. Nec tamen eapropter cum quibusdam critici dies à nobis plane rejiciendi & negligendi ſunt.

XXIV. Illud videlicet conſtat, in acutis morbis circa ſeptimos quosque dies plerumque notabilem quandam mutationem adeoque criſin contingere: perinde ferme ut cum climactericis annis eſt comparatum; qui tamen criticis diebus minus adhuc ſunt certi.

CAPVT XXI.

Criticorum dierum cauſſas à Numeris non dependere.

QVænam vero hujus omnis rei ſit cauſſa, de eo perquam variæ ſunt opiniones.

II. Primum videlicet Pythagorici omnia illa NVMERORVM viribus tribuerunt, utpote quos non duntaxat inter efficientes cauſſas, ſed etiam inter ſubſtantias retulerunt: pares præterea imperfectos, impares autem perfectos; quaternarium ſeorſim inſuper magnæ dignitatis, ſeptenarium vero peculiariter divinum eſſe ſtatuerunt.

III. Abſurdum vero hanc opinionem eſſe *primum* inde patet, quod numerus non conſtituat peculiarem ſpeciem ſubſtantiæ, ſed nihil aliud ſit niſi cumulus quidam, adeoque omnibus rebus, tam ſubſtantiis quam accidentibus, competat, quæ multitudinem & unius ad unum additionem admittunt.

IV. *Deinde* quod ſeorſim ſeptenarius eſt divinus habitus, à creatione univerſi profluxit. Quod autem Deus præciſe ſeptimum, non alium diem, ſacrum eſſe voluerit, non ob numeri iſtius ſingularem vim, ſed ob cauſſam ſoli ſibi notam factum fuit.

V. *Tertio* multa paria ſunt bona & perfecta, imparia ex adverſo mala & imperfecta. Ipſimet etiam magnifaciunt quaternarium, qui tamen utique non eſt impar.

VI. Pe-

VI. Peculiariter *quarto* multæ ſalutares & perfectæ criſes fiunt paribus, imperfectæ contra imparibus diebus.

VII. Accedit *quinto*, quod apud nos aliasque gentes multæ criſes fiunt non præciſe ſeptenis diebus, ſed circa eos, ſimul videlicet tam præcedenti quam ſubſequenti die quadamtenus comprehenſo: prout de climactericis annis modo notatum, quod videlicet mutatio paullatim facta circa illos demum ſoleat reddi manifeſta.

VIII. Sed & *ſexto* denique Pythagoræ ejusque ſectatorum iſthanc de numerorum vi doctrinam ab occulta ſuperſtitione fuiſſe potius profectam, perinde ut complura alia ab eo tradita & obſervata, utut in ſingularis ſapientiæ ac ſanctitatis opinione etiam ab aliis vulgo habita, alibi oſtenditur.

CAPUT XXII.

Nec ſeorſim Arithmeticam Compoſitionem eorum eſſe cauſſam.

HUic opinioni deinde multum affinis eſt ea, quam Ferrerius peculiari libello aſſeruit, criticorum dierum cauſſam ad ARITHMETICAM COMPOSITIONEM referre conatus.

II. Scilicet acutos morbos ad impares numeros dierum tendere, & eos maxime, qui totius naturam induunt, hos autem eſſe ſeptenarium & novenarium numerum.

III. Quod enim omnes numeri denario claudantur, fieri ut impares omnes eo contenti vel ternarium vel quinarium vel ſeptenarium vel novenarium componant. At vero ternarium & quinarium eſſe ſeptenarii & novenarii partes. Supereſſe igitur duntaxat ſeptenarium & novenarium, qui nullos alios componant.

IV. Similiter longos morbos paribus diebus moveri,

iis præſertim qui totius naturam induunt, eſſe autem quartum, ſextum, octavum, decimum.

V. Inde porro per alios dies intermedios inſtitui indicationem de diebus vere criticis, tam in acutis quam diuturnis morbis.

VI. SED *primo* fundamentum hujus opinionis à numerorum vi petitum vanum eſt & irritum.

VII. Quæ *deinde* ſeorſim de diebus tam criticis quam indicibus acutorum morborum tradit, nec Hippocraticis obſervationibus nec noſtris & multo quidem minus reſpondent.

VIII. Eadem ratio *tertio* eſt etiam dierum quos vel criticos vel indices ſtatuit diuturnorum morborum. Ab experimentis videlicet hoc itidem eſt alienum.

CAPUT XXIII.

Salutaris & letalis criſis cauſſas nec in Planetas nec in Sidera referri poſſe.

TErtia opinio eſt Aſtrologorum, criſium cauſſas PLANETARUM ac SIDERUM conjunctionibus, oppoſitionibus, adſpectibus, influxibusque tribuentium.

II. Alios videlicet planetas ſalutares & beneficos eſſe, nempe Jovem, Solem, Venerem, Mercurium: alios maleficos, Saturnum & Martem.

III. Si cum illis igitur conjungatur Luna, fauſtos & felices dies, & conſequenter quæ iis contingunt criſes ſalutares: ſin cum his, infelices dies, & proinde quæ iis fiunt criſes letales eſſe.

IV. Præterea debere ſimul attendi, in quonam angulo ſit Luna. Sedecim videlicet eſſe angulos, quorum alii pleni ſint, criticis radicalibus; alii ſemipleni, indicibus; alii ſemidimidiati, intercidentibus; alii vacui, vacuis diebus reſpondentes.

V. Por-

V. Porro à ſingulis planetis peculiares morbos produci.

VI. Similiter etiam à ſingulis zodiaci ſignis peculiares morbos gigni.

VII. Hinc nonnulli Medici quoque criſeos cauſſas inde arceſſunt, ſtatim ſimul atque quis ægrotare cœperit, planetarum ſiderumque influxus & affectiones, ortus item & occaſus, obſervari debere cenſentes.

VIII. SED *primum* planetas vel beneficos vel maleficos eſſe, ac propterea vel felices vel infelices dies facere, dictu vanum, ſuperſtitioſum, impium eſt.

IX. *Deinde* ſingulis certos morbos producendi vim competere, itidem vanum eſt.

X. Similiter *tertio* ſideribus zodiacique ſignis idipſum non minus vane tribuitur.

XI. Sed & *quarto* nullum horum ſive per experientiam ſive per ratiocinationem poteſt probari, adeoque hactenus omne ſaltem incertum eſt: utut ad illam vulgo provocare ſoleant, fruſtra tamen, quum prorſus ineptum ſit ad probationem id, de quo maxime controvertitur.

XII. Tametſi *quinto* planetæ & ſidera ob tempora tempeſtatesque mutandas omnino condita ſunt, adeoque ortu & occaſu, conjunctionibus, oppoſitionibus, adſpectibusque ſuis aërem alterando, quibusdam morborum generibus gignendis cauſſam dare poſſunt: tamen præciſe certos morbos inde ſemper produci non conſtat, niſi conſtans ac diuturna fuerit certa quædam tempeſtas cælique conſtitutio.

XIII. Quæ ſola tamen non ſufficit, nec ab iis ſolis aut ſimpliciter dependet. Alias enim vel ſemper certi morbi epidemii eſſe deberent, vel nullus ab iis immunis.

XIV. Nec *ſexto* ſeorſim natalitia aſtra in morborum productione quidquam valent.

XV. *Primum* videlicet potius attendendi forent poſi-

tus

tus & adſpectus planetarum & ſiderum, quales fuerunt tempore conceptus & conformationis.

XVI. *Deinde* verum tempus horum omnium ſaltem plerumque quis poteſt obſervare, vel præciſe qualis tum fuerit planetarum ſiderumque poſitus?

XVII. Sed & *tertio* eodem plane tempore & ſub eodem quidem cælo ſive concepti ſive nati deberent iisdem morbis obnoxii eſſe vel laborare, & eadem valetudine uti: quum tamen contrarium potius perpetua doceat experientia.

XVIII. Multo minus *ſeptimo* criſium criticorumque dierum cauſſæ ſtellis poſſunt attribui.

XIX. Etenim *primo* criſis fit vel præciſe certis vel ſaltem non niſi circa certos dies, à primo morbi jam manifeſti & ſenſibilis die computatione facta, ſive hæc ſive illa fuerit conſtellatio: itaut quilibet unius ejusdemque hebdomadis vel menſis dies alteri ſit criticus, alteri non. Deberent autem non niſi certi quidam menſium vel hebdomadum dies ſub hac vel illa conſtellatione critici eſſe, ſiquidem inde omnis ea mutatio dependet.

XX. *Deinde* ſi ſtellarum conjunctiones & oppoſitiones horum ſunt cauſſæ, deberent qui plane eodem tempore ac ſub eodem earum adſpectu iisdem morbis corripiuntur, eodem etiam modo omnes judicari: quum tamen alii citius, alii ſerius morbo defungantur; alii quoque pereant, alii convaleſcant.

XXI. Sed & *tertio* ſi cælo ſimpliciter vel ſaltem potiſſimum illa debentur, fruſtra ſingulorum ægrotantium corpora morborumque affectiones & cauſſæ attenduntur, adeoque nullæ indicationes nullaque ſigna ex affectis hominibus deſumta locum habebunt.

XXII. *Quarto* quoque quum tantum non omnium morborum verum primum tempus lateat, & eapropter eorum,

rum vera conſtellatio non poſſit obſervari; tantum non omnes etiam prædictiones & criſes ceſſarent: experientia plane refragante.

CAPVT XXIV.

Seorſim Lunæ criſin non omnino deberi.

QVarta opinio eſt Galeni aliorumque, LVNÆ omnes illas mutationes unice adſcribentium.

II. Eam *primo* videlicet in omnia humida habere imperium, atque inde in omnibus illis novilunii & plenilunii vim manifeſto deprehendi.

III. *Deinde* motus ejus omnes per quadras & ſeptimanas perfici: inde quoque quaternarios & ſeptenarios dies in acutis morbis maxime eſſe criticos.

IV. Singillatim autem *tertio* cur vigeſimus potius quam vigeſimus primus dies ſit criticus, peculiarem menſem finxit Galenus, è menſe peragrationis & menſe apparitionis ab Aſtronomis dicto ſimul junctis compoſitum, quem medicinalem & criticum vocavit.

V. TAMETSI vero iſthæc opinio probabilior aliis videtur, tamen & ipſa caret omni certo fundamento.

VI. Etenim *primum* quum criſis ſit motus humorum, ſi luna eum facit per ſe & è ſua facultate, non magis ſeptimo die movebit quam octavo vel quovis alio: quum quæ per ſe inſunt, ſemper inſint.

VII. *Deinde* ſin eam vim habet ab alio, ſcilicet adſpectu, oppoſitione, vel alia affectione; movebit humores duntaxat in hoc vel illo adſpectu, in hac vel illa oppoſitione. At nudius tertius, heri, hodie qui morbo acuto tentati ſunt, ſinguli judicabuntur ſeptimo ſui morbi die, quum tamen luna tum non ſit in eodem adſpectu aut oppoſitione.

VIII. *Tertio* ſi luna criticorum dierum cauſſa eſt, eam

vim nanciſcetur aut à ſole, à quo lumen accipit, aut à ſignis zodiaci. Si à ſole, morbi duntaxat illi ſeptimo die judicabuntur, qui ægrotos in novilunio aggrediuntur. Alias enim nec ſeptimo diei dimidia, nec quarto decimo plena luna reſpondebit.

IX. *Quarto* ſin à zodiaci ſignis id ipſum habet, non poteſt quartana & ſeptimana criſis eo referri, quum luna omnes quartas motiones & circuitus æquales non ſortiatur. Alias videlicet deberent inter quatuor lunæ φάσεις eadem præciſe temporum intervalla intercedere.

X. *Quinto* non poteſt tum cauſſa dari, cur poſt vigeſimum diem quilibet ſeptenarii uſque ad quadrageſimum, inde ſoli vicenarii ſint critici.

XI. Obſtat *ſexto*, quod ſi luna ideo, quia per quadras & ſeptimanas movetur, criticorum dierum eſt cauſſa, quaternarii & ſeptenarii dies iidem & lunæ & morborum neceſſario deberent eſſe.

XII. Plane *ſeptimo* abſurdum eſt, in ſolis morbis quaternarios & ſeptenarios lunæ motus vim ſuam exercere, nullam vero in animantium & ſeorſim hominis generatione, conceptione, vita, nutritione, aliisque naturalibus actionibus.

XIII. Nec minus *octavo* idem dicendum de eo, cur in ſolis acutis, non autem in diuturnis etiam morbis, luna tantam ac talem vim obtineat.

XIV. Neceſſarium quoque *nono* foret, ut ſub lunæ quadraturas & quatuor phaſium mutationes vel ſaltem circa eas in acutis morbis criſes, in aliis aliæ inſignes alterationes fierent, ſiquidem lunæ poteſtas in morbos ineſt.

CAPVT XXV.

Lunæ in humida dominium non competere.

QVod autem ad creditum imperium lunæ in humida ſpectat, utique *primo* manifeſtum eſt, id ei ſimpliciter non

abſque

abſque magna injuria in ipſam naturam tribui, quum plurima ſint humida in quibus dominii ejus nihil quicquam notatur, adeo ut ne quidem in ipſas cæleſtes aquas ſive pluvias & quæ ad eas pertinent vis illa lunæ competens deprehendatur.

II. Nec enim naturaliter eæ vel cadunt vel ceſſant, niſi pro vario poſitu & adſpectu aliorum planetarum ſiderumque. Quorum proinde potiores quam lunæ non poterunt non eſſe vires.

III. Tametſi *deinde* multa ſunt, quæ mutationes & alterationes menſtruis lunæ variationibus & motibus ſimiles patiuntur, non tamen protinus illa lunam habent cauſſam: ſaltem hactenus omne id incertum eſt.

IV. Immo *tertio* à luna iſthæc haud effici vel inde colligitur, quod ea tum in nulla non humida, ea præſertim quæ in ſublimi ſunt ac fiunt, vim ſuam illam manifeſto quoque nec minus deberet exercere, nequaquam vero in aliqua duntaxat.

V. Illa ipſa quoque *quarto*, quæ lunæ motus quaſi imitantur, deberent idem tempus, quo lunæ lumẽ & vel adſcenſus vel deſcenſus variatur, exacte ſentire: quod tamen haud obſervatur.

VI. Neque *quinto* quidquam huc vel ſeorſim ad criticum morborum motum faciunt lunatici. Nihil aliud enim inde poteſt oſtendi, niſi nonnunquam lunaribus motibus ſimiles morborum quorundam exacerbationes fieri. Deberet autem luna in aliis etiam morbis excitandis vim non minus obtinere, & illos ipſos numquam non producere. Quorum neutrum tamen experientiæ conſentaneum eſt. Lunatici quoque morbi peculiariter ita dicti non niſi rariſſimi ſunt, & cauſſas naturalem vim longe excedentes haud obſcure produnt.

CAPVT XXVI.

Nec aliqua ex parte criticum motum lunæ tribuendum eſſe.

SEd nec aliqua ex parte propriam Lunæ poteſtatem equidem

dem heic agnoſco. Quod videlicet efficiens univerſalis cauſſa non criſium ſolum ſed & omnium motionum, quæ in ſublunari hac regione contingunt, ſit cælum, cujus vires fere omnes luna inferior & citima terris excipiat easque nobis communicet. Inde naturam particularem, quæ hominibus ineſt, ab univerſali illa & cæleſti juvari, ut ſi quando accidat lunæ ſeptimanas cum ſeptenariis morbi diebus concurrere, criſis ſperetur facilior feliciorque. Id quod Laurentio *l. 3 de criſib. c. 13* fuit viſum.

II. Etenim *primo* ſententia iſthæc ſupponit lunæ dominium in humida. Quod nullum peculiare tamen ipſi tribui poſſe fuit oſtenſum.

III. *Deinde* probari debebat, quod nude duntaxat aſſeritur.

IV. *Tertio* obſtant eadem argumenta contra Aſtrologorum opinionem modo producta.

V. *Quarto* etiam cum experientia ne poſtremum quidem convenit, quum criſis ſeptenario morbi pariter ac lunæ die vel nulla vel letalis ſæpe fiat, ſalutaris autem contra non minus aliis etiam lunæ diebus.

VI. Accedit *quinto*, quod in noſtratium aliarumque multarum gentium corporibus tam certa & exacta criſium criticorumque dierum ratio ſemper non deprehendatur, quum luna tamen proprios ſuos motus numquam non poſſit obſervare.

VII. Nihil aliud igitur ſupereſt, niſi quod ad aëris tempeſtatumque mutationes una cum ceteris planetis ut & ſideribus luna quoque ſymbolam ſuam conferat. Quæ mutationes ad multorum morborum productionem ut non parum faciunt, ita nihil ad criſin niſi per accidens. Vt proinde lunæ ne quidem in iſtorum generatione peculiaris poteſtatis aliquid jure debeat vel poſſit adſcribi, multo minus in excitanda criſi.

CAPVT XXVII.

Melancholici humoris motum non eſſe criſis cauſſam.

SExto loco ſeſe offert Fracaſtorii opinio, criſis criticorumque dierum cauſſam MELANCHOLICO HVMORI peculiariter tribuentis.

II. Scilicet in humores ſive ſanguinis maſſam intra venas contentam vitio quodam transeunte, raro unum duntaxat humorem corripi, ſed plerumque vel duos vel plures, idque vel ſimul vel poſt. Qui quidem humores partim actu partim potentia adſint. Dum vero putreſcere incipit humor, ſtatim fieri ejus ſecretionem. Qui ſi ſimplex ſit, paroxysmum duntaxat excitari: ſi permixti confuſique, nunc omnes ſimul moveri, nunc duos, nunc unicum duntaxat. Inde dies alios placidisſimos, alios acerbiores, alios acerbiſſimos eſſe. In quorum iſtis nullos, in illis unum, in his omnes humores moveri. Quos poſtremos propterea quoque ad criſin eſſe aptiſſimos.

III. Porro quoniam neque criſis fiat niſi præparato digeſtoque humore; perfecta vero nulla ſit, donec quod craſſius ac ſegnius eſt & ipſum fuerit digeſtum; craſſior autem ac ſegnior omnibus ſit melancholia: inde fieri quod potiſſimum circa melancholiæ motus & digeſtiones attendantur criſes; motus autem melancholiæ fieri per quaternarium; criſes igitur proinde quoque per eundem ejusdem humoris circuitum fieri.

IV. Quandoquidem vero melancholiæ varii ac multiplices modi ſint atque conditiones: nunc enim paucam, nunc multam; nonnunquam craſſam, nonnunquam tenuem; interdum tenacem, interdum facilem ſolutu; aliquando calidam, aliquando frigidam adeſſe: hinc fieri, ut putreſcente bile, quandoque ſimul & eodem die melancholia computreſcat; idque nunc in initio, nunc in medio, nunc in fine paroxyſmi; quandoque

doque item ſecundo duntaxat, quandoque autẽ tertio, quandoque quarto demum die. Ex quo diverſo denique melancholici humoris motu diverſas etiam criſes contingere, adeoque criticorum dierum tres ordines conſtitui. Quorum omnium diſtinctionem & ſupputationem ex ipſo repetitam proponit Laurentius.

V. CETERVM *primo* humoribus non niſi intra venas contentis putredinem ac propterea paroxyſmum & criſin competere, neutiquam reſpondet iis quæ uſus docet.

VI. *Deinde* quod de plurium humorum ſimultanea corruptione ſtatuitur, deſumtum eſt ab illa Galeni doctrina, qua ſanguinis maſſam è quatuor diverſis humoribus, quorum ſinguli ſingulis elementis reſpondeant, conſtare fuit perſuaſum.

VII. *Tertio* ſi ſemper vel plerumque plures humores una ſunt corrupti, debebant etiam ſemper vel ſaltem plerumque in paroxyſmo & præſertim criſi vel alias evacuatione inſtituta plures quam unus humor excerni. Quod tamen itidem refragatur experimentis.

VIII. Sed & *quarto* putreſcentem humorem omnem ſtatim ſecerni nequaquam conſtat.

IX. *Quinto* melancholicum humorem talem dari, & quidem in omnibus corporibus, creditum quidem fuit, ſed citra ullam probationem.

X. Etiamſi *ſexto* talis humor daretur, protinus tamen in omnibus acutis morbis eum corruptum eſſe, itidem nullo vel veriſimili argumento poteſt oſtendi.

XI. Similiter *ſeptimo* perfectam criſin niſi craſſo & ſegni humore digeſto fieri non poſſe, nude duntaxat affirmatur, ex falſa illa, quod talis melancholicus humor & in omnibus corporibus detur & in omnibus acutis morbis præcipue laboret, perſuaſione.

XII.

XII. Accedit *octavo*, quod ſecundum illam doctrinam plane novus ordo criticorum dierum conſtituitur, illique dies pro criticis habentur, quos tales eſſe nec antiquorum nec recentiorum experientia probavit & probat. Id quod pluribus oſtendit Laurentius.

CAPVT XXVIII.

Vt paroxyſmorum ita criſium quoque veram cauſſam eſſe ſpontaneum humorum motum, adjutum tamen ab ægrotantium natura. Cur item criſes apud nos vulgo minus ſint certæ.

ISthæc omnia igitur quoniam locum hac in re ſibi tributum obtinere nequeunt, oportet ut de alia cauſſa diſpiciatur. Quam quidem in promtu eſt invenire.

II. Nulla videlicet alia dari poteſt, præterquam ſingulis humoribus naturaliter inſita vis, & inde proveniens eorum ſpontaneus motus.

III. Id quod *primum* probatur eo, quod in plurimis aliis naturalibus rebus, aquis præſertim, ſtirpibus & animalibus, item utrorumque partibus & quæ præterea ab iis deſumuntur aliis, ſpontaneus motus, & in ſingulis quidem peculiaris, manifeſto deprehendatur.

IV. Suus & proprius *deinde* motus ſingulis humani corporis humoribus competit. Alii quippe quotidie, alii ſecundo, alii tertio, alii alio die moventur & efferveſcunt. Id quod in febrium paroxyſmis maxime perſpicitur.

V. Idem motus *tertio* manifeſto variat, prout humores vel ſimplices ac puri vel mixti diverſorumque ſimul generum fuerint. Vnde paroxyſmi nunc idem tempus præciſe obſervant, nunc minus: aliæque febres ſunt exquiſitæ, aliæ nothæ vel erraticæ.

VI. HINC autem jam ratio facile poteſt dari, cur cri-

ſis criticique dies in noſtris ægrotantibus vulgo minus certi eſſe ſoleant, quam Hippocrates & Galenus obſervaverunt.

VII. Etenim *primum* quam maxime attendi debet alimentorum ac victus, tam circa cibos quam potus, omnibus gentibus ſua, diverſitas. Quales enim ſunt illi, talis etiam eſt ſanguis. Quem proin aliæ tenuem habent, aliæ ſubtilem, aliæ craſſum, aliæ viſcidum, aliæ alium: ſingulæ proprias inſuper conſuetorum nutrimentorum qualitates referentem. Propter quam eandem cauſſam idem aliis exquiſite, aliis minus talis vel talis eſt.

VIII. Eſtque diſcrimen iſtud etiam inter ejusdem gentis ſed diſpari eoque tum plebejo tum delicato victu utentes homines non minus manifeſtiſſimum. Idque tanto magis, quanto familiarior ac frequentior utriusque, alterius his, alterius illis, uſus fuerit.

IX. Quod ipſum evidenter quoque confirmant indigenæ ſive vernaculi, Græcis ἐνδήμιοι dicti, morbi. Quamvis enim nec omnes iſti nec ſolum inde producantur, plurimum tamen ad eorum generationem aſſumta conferre, omni vacat diſceptatione. Quin igitur etiam morborum motus pro eorum differentia varient, nequaquam eſt dubitandum.

X. Permultum *deinde* criſin turbat imprudens alimentorum, partim ægrotantium appetentia, partim & præcipue quidem iis miniſtrantium præbitio, immo ſæpius ipſiſmet invitis, noſtris hominibus vulgo nimis uſurpata, obtruſio: quum abſtinentia non exigua pars ſit curationis, immo ſæpe perquam neceſſaria, in acutis præſertim morbis.

XI. Neque nulla *tertio* culpa eſt aliquando ipſorummet Medicorum, intempeſtive nimiumque frequenter medicamenta exhibentium. Ita namque naturalis humorum motus vel ante tempus irritatur, vel interturbatur & inhibetur.

XII. TAMETSI vero ſingulis humorum ſpeciebus

ita

ita proprius ſuus motus ineſt & competit, naturam tamen inſuper tanquam efficientem cauſſam, quæ humores veluti materialem cauſſam moveat, recte addit Laurentius: intelligendo videlicet uniuscujusque corporis humani naturam.

XIII. Huc enim omnino quoque pertinet illud Hippocratis effatum: *Naturas eſſe morborum medicatrices: l. 6 epidem. ſ. 5, aph. 1.*

XIV. Id quod ut tum de totius corporis tum de ſingularum partium propria natura, pro morborum diverſitate, verum eſt: ita heic de facultate vitali, quæ prorſus eadem eſt cum vegetativa ſive nutritiva, quam maxime debet accipi.

XV. Per quam quidem ſimul partium juxta atque totius eo pertinens temperamentum, præcipue tamen cordis calidique innati conſtitutio intelligitur.

XVI. Hujus enim potiſſimum eſt noxios humores digerere, concoquere, ſecernere, expellere.

XVII. Vnde illo ſalvo & vegeto, perfectæ ac ſalutares: valde debilitato, imperfectæ: penitus oppreſſo, letales criſes fiunt.

XVIII. A proprio demum naturæ motu non minus itidem omnis criticorum dierum varietas unice proficiſcitur.

CAPVT XXIX.

E cordis arteriarumque Pulſu petita præcipua ſigna proponuntur.

PErgendum nunc eſt ad ſingulas fontium ſive locorum ſpecies, è quibus omnis generis ſigna præcipue peti tum ſolent tum debent.

II. Cujus tractationis principium merito fit à PVLSV, quod is cordis facultatisque vitalis, quæ omnium potiſſima eſt, conſtitutionem & habitudinem indicet: quod item vulgo in plerisque ægrotantibus numquam ferme non ſoleat explorari.

III. Quod ipſum genus ſignorum tamen ad διάγνωσιν vel certas prædictiones inſtituendas ſolum haud ſufficit, perinde ut cum aliis ſignis itidem eſt comparatum; ſed ſemper ſimul ad alia quoque concomitantia debet attendi.

IV. *Prima* vero differentia, quæ heic ſigna ſubminiſtrat, eſt pulſus æqualitas vel inæqualitas.

V. Quarum hæc tum corporis tum animi motus, & hujus quidem ſæpenumero latentes, exacerbationes item caloresque febriles vel increſcentes vel remittentes indicare & comitari ſolet.

VI. Illa nunc bona nunc mala nunc neutra, adeoque ſemper ejusdem ſignificationis eſt cum illo pulſu, qui tum editur æqualitatem ſervans; cujus diſcrimina jam jam ſpeciatim memorabuntur.

VII. *Secundam* igitur ſpeciem conſtituit pulſus magnus, qui cordis virtutem firmam vel etiam auctam, ſanguinemque libere diſtribui: & parvus, qui eandem infirmam ſignificat.

VIII. Alius *tertio* pulſus eſt validus, qui calidum innatum & cor vehementius commotum: & debilis, qui utrumque languere denotat.

IX. Cujus generis etiam *quarto* eſt pulſus velox, qui tum corporis tum animi concitatiores motus, magnos item calores febriles excipere comitarique ſolet: ac tardus, qui vel quietem vel calidi cordisque torporem indicat.

X. Ex quibus omnibus *quinto* optimus habetur, qui inter hoſce omnes potius medius exiſtens æqualitatem ſervat: niſi ob manifeſtas externas cauſſas factus fuerit intenſior.

XI. Peſſimus autem eſt valde & parvus & debilis & tardus. Indicat enim cordis calidique nativi virtutem oppreſſam: & in morbis acutis, præſertim malignis, ſæpe eandem mox penitus ſuccubituram.

XII. Præ-

XII. Præter hoſce *ſexto* notari poteſt pulſus undoſus, qui largos & univerſales ſudores plerumque præcedere ſolet.

XIII. Addatur *ſeptimo* vermiculans & formicans pulſus, qui cum aliis ſignis junctus jam inſtantis mortis nuncius eſſe, alias autem deliquium animi comitari ſolet.

XIV. Quibus *octavo* accedit quam maxime obſervanda ἀσφυξία ſive pulſus ad ſenſum deficiens. Qui nonnunquam ab organico morbo vaſorum vel cordis vel pulmonum oritur, perexigui tamen ſolum temporis, eapropter intermittens vocatus: nonnunquam acutas febres comitatur, periculum indicans: plerumque tamen appropinquantem mortem certo ſignificat.

XV. Reliquæ pulſuum differentiæ ab Herophilo, Galeno, aliisque conſtitutæ revera ſubtiliores ſunt quam ut diſtinctim obſervari queant. Nec temere quædam dabitur, quin ad allatas commode referri poſſit.

CAPUT XXX.

Reſpiratio quænam præbeat ſigna.

Conſimiliter in omnibus morbis, acutis præſertim, maximopere debet attendi RESPIRATIO, utpote quæ & ipſa ad cordis ſanguinisque motum plurimum confert.

II. Facilis igitur ac libera ſemper præbet bonum & plerumque ſalutare ſignum: contrarium difficilis.

III. Frequens autem ac parva debiles vires; vel pulmonum liberum motum ab alio, qualis eſt inflammatio vel tumor, impediri indicat. Nam frequens ob validum corporis motum in bene valentibus huc non pertinet.

IV. Qualis etiam eſt denſa. Quæ tamen pulmones oppletos vel alias anguſtos itidem ſolet comitari.

V. Magna porro & frequens, qua ſimul fervidus vapor

por per os & nares emittitur, vehementis caloris, adeoque magnæ inflammationis, eſt indicium.

VI. At magna & ex longis intervallis rara, in acutis delirium ſignificat.

VII. Reſpiratio præterea, quæ hominem ſupinum eſſe non ſinit, ſed erecto corpore ſedere vel obambulare cogit, ſuffocationem minitatur.

VIII. Peſſima quoque eſt inæqualis & interciſa & quæ quaſi dupla videtur eſſe.

IX. Malum itidem ſignum eſt aërem hiante ore captare: niſi id proveniat à plena narium obſtructione.

X. Reſpiratio parva & rara, item alta & crebra difficiliſque, inſtantem mortem ſolet indicare.

XI. Qualis etiam eſt ea, qua frigidus ſpiritus ex ore naribuſque efflatur: præſertim ſi ſimul narium pinnæ contrahi ac dilatari cernuntur; præter ſolitum videlicet & in non conſuetis.

XII. Letalis denique eſt reſpiratio cum ſtridore, qualem bulliens ab igne aqua ſolet edere, κεγχνώδης Græcis dicta: aliis videlicet pernitioſis ſignis concurrentibus. Alias enim à pituita in aſperam arteriam illapſa itidem excitari ſolet: infantibus & puerulis, præſertim quod expectorare nequeant, frequenter obtingens ſymptoma: aſthmaticis etiam familiare. In quibus tamen periculoſum eſt, ſicut & in illis, niſi evacuantibus cito corrigatur.

CAPVT XXXI.

Quæ circa Appetitum & quam alimenta præſtant refectionem contingentia ſigna notari debeant.

PRæterea diligenter animadverti debet, quomodo circa cibi potuſque APPETENTIAM ſeſe habeant ægrotantes.

II. Scili-

II. Scilicet faſtidium ciborum initio aut circa ſtatum morborum, viribus adhuc ſufficientibus, nihil mali portendit.

III. At idem in morborum declinatione, aut alias viribus imbecillibus, eſt periculoſum.

IV. Idem in convaleſcentibus recidivam ſolet minari.

V. In diuturnis autem morbis peſſimum eſt. Solet enim juxta cum aliis ſymptomatibus ſupervenire, valetudine cum vita jam plane deſperata.

VI. Idem denique bibacibus & ebrioſis accidere ſolet, ventriculi tono penitus amiſſo, eſtque mali ominis.

VII. Initio morbi probe appetere & comedere, nec inde tamen refici, tandemque cibos faſtidire, difficilis ſolutu morbi: contra principio abſtinere, poſtea vero appetere, facilis eſt argumentum.

VIII. Poſtremo in longis morbis, viribus plane jam collapſis, avide appetere & ſumere cibum, letale eſt. Soletque aliquando phthiſicis & emaciatis ſub ipſam imminentem mortem contingere.

IX. Alias etiam in quovis morbo cum magna aviditate & quaſi feſtinanter cibos ingerere, peſſimum eſt ſignum: niſi ſit à longa conſuetudine.

X. Sitis intenſiſſima, etiamſi ſit ab externa manifeſta cauſſa, partium internarum ac ſanguinis inflammationem indicat.

XI. Inexſtinguibilis ſitis ſæpe delirium minatur.

XII. In ſitifera cauſſa ſive in acuto morbo præter rationem non ſitire, valde malum.

XIII. Quæcunque oblata, ſive alimenta ſive medicamenta ſint, etiam ingrati ſaporis, præſertim à quibus antea abhorruerint ægroti, ſine recuſatione aſſumere, valde malum eſt, non ſemper tamen pernicioſum.

XIV. A cibis potibusque exhibitis, ſive ſint mere alimentoſi ſive ſimul medicamentoſi, bene ſeſe habere, in omni morbo ſalutare ſignum eſt: contra male, periculoſum.

XV. Similiter ſi minus bonis aſſumtis ægrotus pejus ſeſe non habet, facilis morbus indicatur.

XVI. At bonis alimentis ac tempeſtive recteque præbitis ſi non duntaxat non juvatur, ſed inſuper etiam læditur, difficilis morbi eſt argumentum.

XVII. Poſt morbum ſi ab expetitis & aſſumtis alimentis corpus ac vires non reficiuntur, malum. Solet enim recidivam ſignificare.

CAPUT XXXII.

Ex Alvi dejectionibus quæ ſigna præcipue ſint obſervanda.

ILlis proxime jungenda ſunt ſigna, quæ ab excretionibus deſumuntur, initio facto ab ALVI dejectionibus.

II. Mala igitur eſt nimis aut dura aut liquida, quod hæc colliquationem, illa intenſum calorem ſignificet. In ægrotis videlicet: item ſi talis neque conſueta, neque propter aſſumta fuerit.

III. Mala quoque viridis, livida, nigra, cineritia, ac plerumque letalis. Niger videlicet & cineritius color ſæpe ſunt indices perurentis caloris, qualia proinde quoque ſunt carbones & ligna aduſta vel combuſta.

IV. Mala ſimiliter eſt alba & valde rubra. Nec albedo eſt indicium cruditatis, ceu nonnullis viſum, niſi aſſumta fuerint prorſus talia.

V. Mala præterea pinguis, viſcida, tenax, ſpumoſa, colliquationis indices: niſi talia quoque fuerint aſſumta.

VI. Mala itidem eſt aquoſa, præſertim in morbis acutis.

VII.

VII. Nec minus ſemper mala ſanguinis rejectio, niſi ſit ab hæmorrhoidibus.

VIII. Vermes ſive vivos ſive mortuos ejici, præſertim ſine excrementis, plerumque & per ſe malum, per accidens tamen interdum bonum eſt ſignum. In ægrotantibus videlicet. Nam alias eos expelli, in ſe ſe ſpectatum bonum eſt.

IX. Carunculas & ramenta dejici nunquam bonum.

X. Fæces nihil fœtere, vel contra vehementiſſime, utrumque ſemper malum.

XI. Frequens dejectio, etiam qua pauxillum duntaxat egeritur, in longis præſertim morbis, cumque virium jactura, letalis.

XII. Pernitioſa quoque eſt dejectio ſenſum ægroti fugiens.

XIII. Quædam tamen ex commemoratis ſi per criſin ejiciuntur, cumque ægrotantis allevatione, bonum eſt.

XIV. Calculi per alvum rejecti non pertinent ad ſigna.

CAPVT XXXIII.

Vomitus quæ ſigna maxime notabilia ſuggerat, item Singultus, ac Ructus.

EAdem ferme ratio eſt & VOMITVS. Qui ſi robur naturæ, hoc modo ſeſe exonerantis, ſequitur, & id in quo vitium eſt excernit, facile fertur & prodeſt; ſin minus, contra.

II. Vomitus, quo bilis & pituita mixta redduntur, minus eſt moleſtus; dummodo non ſit nimius: pejor, quo ſincerus humor.

III. Porraceus, lividus, niger, malus eſt.

IV. Ruber letalis eſt, præſertim ſi difficulter fiat.

V. Qui colores omnes non bonos refert, valde pernicioſus eſt.

VI. Ni-

VI. Niger male olens, in peſtilentibus febribus frequens, ſubitam mortem denunciat.

VII. Sanguinis vomitus valde periculoſus eſt, non ſemper tamen letalis.

VIII. Vomitus, cui ſingultus aut convulſio ſupervenit, deterrimus eſt; inprimis ſi ſinceri humores ejiciuntur.

IX. Non raro tamen contra vomitus, æruginoſus præſertim, convulſionem, epilepſiam, profundumque ſoporem, quaſi criſi quadam ſolvit.

X. Vermes ejicere vomitu ejusdem eſt generis cum eorundem per alvum excretione. Pejus tamen eſt per os quam per ſedem eos exire, non quidem pejus ut ſignum, ſed ut cauſſa; ceu bene notat Fienus. *Semeiotices par. 2, ſ. 4, c. 7, §. 5.*

XI. Fæces alvi per os reddere, funeſtum.

XII. Vomitus denique, quo res abſurdæ rejiciuntur, ad naturalia ſigna non pertinet, ſed veneficia & diabolicas artes manifeſto prodit.

XIII. His addendus SINGVLTVS. Qui ſi à repletione fuerit ortus, innoxius eſt, ſoletque vomitum prænunciare.

XIV. At ab inanitione, nimia videlicet purgatione, vel ſanguinis effuſione; aut à vomitu, malignorum præcipue humorum; aut ab inflammatione; aut in acutis febribus, peſſimus, & aliis pravis ſymptomatibus junctus letalis.

XV. Huc pertinet etiam RVCTVS. Qui niſi fuerit ab aſſumtis, debilitatem ventriculi oſtendit.

XVI. Olidus autem, nidoroſus, acidus, amarus, & quocunque alio ſapore ingratus, humores corruptos ventriculum infeſtantes indicat.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

Ex Vrina quæ ſigna præcipue ſint petenda.

SEquitur VRINA, è qua maxime ſigna vulgo deſumi ſolent, ita ut ejus inſpectio & inde petita pronunciatio ac prædictio ad magnam pervenerit ſuperſtitionem atque ſtultitiam.

II. Notantur autem in ea potiſſimum Color, Subſtantia, Contenta, quadamtenus etiam Moles ſive quantitas, & Odor.

III. ET quidem urina tenuis ac diluta vereque aquea cruditatem humorum, & idcirco in morbis eorum diuturnitatem ſignificat, ſeorſimque in pueris eſt mala. Inde vero potum largius ſumtum mox excipiens talis eſſe ſolet, præſertim ſi calidus & generoſus non fuerit. Alias etiam à potu ſtatim profuſa talis itidem eſſe ſolet.

IV. Alba crudos ac pituitoſos humores indicat: in acutis autem & deliriis eſt pernicioſa.

V. Subaurea ſive ruffa ſive citrina probam concoctionem notat, eſtque coloris ratione omnium optima.

VI. Ejusdem notæ quoque ſunt flava & rubra, majorem tamen calorem indicantes.

VII. Rubra perſpicua, lucida, flammea, igneſcens, vehementem calorem, viſcerum inflammationem, febrimque ardentem comitari ſolet.

VIII. Rubra craſſa bilioſos humores indicat: item vini nigri & uvæ paſſæ colorem referens.

IX. Viridis ferocientem & corruptiſſimam bilem notat. Obſervata tamen etiam fuit ab aſſumto veneno.

X. Veneta & magis adhuc livida pereuntis calidi nativi argumenta habentur.

XI. Nigra rubram viridemque ſequens, maximi calo-

ris; cæruleam & lividam, ejusdem exſtincti eſt index: utraque mortis periculum denuncians.

XII. In lienis tamen tumoribus, quartana, melancholia, ſimilibusque affectibus, præſertim in morborum declinatione, ſalutaris eſſe ſolet.

XIII. Cruenta, quæ nempe quum refrixit ſedimentum quaſi ſanguinis concreti habet, à calculo vulneratos renes aut veſicam eſſe ſignificat: niſi violenta externa cauſſa præceſſerit, lapſus videlicet, ictus, percuſſio, aut cantharidum ſimiliumve non conveniens uſus.

XIV. JAM tenuis urina cruditatem, craſſa eandem ac multitudinem humorum ſignificat.

XV. Craſſa ac turbida, qualis jumentorum eſt, & quæ craſſum ſedimentum deponit, talium humorum abundantiam ſolet oſtendere: repente tamen ſæpe quoque redditur in quartanæ ſolutione internique abſceſſus ruptura.

XVI. Oleaginoſa colliquationis eſt index, invaleſcentis tabis comes.

XVII. IN contentis omnia inferiora ſublimioribus ſunt meliora. Hæc quippe colliquationem magis arguunt.

XVIII. Si nihil eorum in urina conſpicitur, peſſimum ſignum habetur in ægrotis, ubi humores videlicet ſunt in culpa: non autem in aliis, multo minus in ſanis.

XIX. Præter hæc ſæpenumero alia quoque in ea reperiuntur, neutiquam negligenda.

XX. Qualia primum ſunt ſemen, pituita, pus. E quibus ſemen eſt leve ac propterea ſemper urinæ innatat, altera vero duo quiete ſubſidunt. Semen etiam eſt tenue, pituita craſſa & tenax & cohærens, pus urina mota diſſolvitur ac quaqua verſum fertur.

XXI. Aliquando porro notantur quaſi ramenta quædam pilisque ſimillima filamenta, caloris viſcidos humores extor-

extorrentis ſigna. Alba tamen filamenta in gonorrhœa & albo fluxu itidem obſervantur.

XXII. Ab iis tamen diſtingui debent vermiculi pilares, à Rondeletio & aliis in urina obſervati.

XXIII. Carunculæ vero exiguæ, ut & quaſi ſquamulæ, & utrisque deteriora furfuracea, renum ac veſicæ exulcerationem indicant.

XXIV. At arenulæ calculorum certæ ſunt comites vel prænunciæ.

XXV. Pinguia demum araneorumque telis ſimilia tabem colliquantemque calorem ſignificant.

XXVI. Bullæ quoque peculiaris ſignificationis eſſe multis creduntur, quum mihi nihil aliud niſi flatulentiam indicent.

XXVII. ISTIS addenda porro ſunt ſigna, quæ moles (ceu vocant) ſive quantitas urinæ ſubminiſtrat.

XXVIII. Multa videlicet vel ſeroſi humoris copiam, vel exiguam alvi dejectionem, vel corporis colliquationem indicat.

XXIX. Quæ omnia quam in ſingulis hominibus habeant cauſſam, tum manifeſtæ externæ cauſſæ tum reliqua ſymptomata facile produnt.

XXX. Etenim primum contingere ſolet, tum copioſo potu ſumto, tum in ſeroſa colluvie à quacunque cauſſa.

XXXI. Secundum liquidis præſertim alimentis aſſumtis, iisque itidem majori numero.

XXXII. Tertium ſemper præternaturalem calorem habet adjunctum, febribusque quibusdam ſupervenit. Qualis itidem eſt diabete.

XXXIII. Pauca vero redditur parum bibentibus, vel ſero per alias partes evacuato, vel eodem à nimio calore diſſipa-

ſipato. Vnde largum ſudorem & diarrhœam parca ſequitur urinæ ſecretio. Quod item lactantibus contingit.

XXXIV. Quorum ſi nihil fit factumve, nec tamen urina numeroſo potui ſumto reſpondet, hydrops eſt metuendus.

XXXV. Etiam à calculo vel craſſo humore vel tuberculo meatibus iis obſeſſis ejusdem excretio inhibetur. Id quod ex aliis ſignis facile innoteſcit.

XXXVI In morbis acutis propter eorum vim urinam paucam vel nullam reddere, funeſtum.

XXXVII. Extreme ægrotantes lectum permingere, ſimiliter tale. Alias enim pueris, calculoſis, ebriis, aliisque frequenter contingit.

XXXVIII. FOETIDA denique urina ſemper inſignis putredinis indicium præbet: ſæpe quidem vel renum vel veſicæ vel pudendorum, interdum tamen aliorum quoque corporis locorum.

CAPUT XXXV.

Circa Sudorem quænam debeant attendi.

PORro diligenter obſervanda ſunt quæ circa SUDOREM in morbis contingunt. Et *primum* quidem Qualitas ejus.

II. Omnis enim criticus & alias ſalutaris debet calidus eſſe.

III. Frigidus autem peſſimus eſt, & in acutis febribus mortem, in aliis vero diuturnitatem morbi ſignificat.

IV. Fœtidus præterea ſudor putridos humores indicat. Nam qui talis ab aſſumtis redditur, à ſignorum claſſe prorſus eſt alienus.

V. Aſt unctuoſus ſudor colliquationis certus eſt index, invaleſcentis hectici caloris eapropter familiaris comes.

VI. *Secundo* notanda venit Quantitas ejus & qua copia fundatur.

VII. Pau-

VII. Paucus enim vel malignitatem vel multitudinem vel utramque humorum, ſummamque naturæ debilitatem denotat.

VIII. Contra nimius etiam eſt malus, utpote colliquationem quandam arguens, ac vires exſolvens.

IX. Præter hæc *tertio* advertendus quoque eſt Modus excernendi.

X. Etenim qui ſenſim paullatimque prodit, naturæ debilitatem potius arguit.

XI. At ubertim confertimque deſtillans eandem quod nocivum eſt valide expellentem indicat.

XII. In bene valentibus etiam citra externam & manifeſtam cauſſam per ſomnum prorumpens ſudor ſeroſorum humorum abundantiam ſignificat, idcirco largius bibentibus vel alias talium humorum collectionem patientibus admodum frequens, & qui purgante medicamento ſumto ceſſat.

XIII. Similiter *quarto* conſiderandus eſt Locus è quo ſudor provenit.

XIV. Ex univerſo enim corpore prodiens bonus eſt.

XV. At in una duntaxat parte, capite videlicet vel cervice vel alia quadam, malus: & in acutis malignisque febribus peſſimum ſignum præbet, in aliis autem diuturnos morbos fore indicat.

XVI. In animi deliquio & virium exſolutione pauco ſudore frontem madeſcere, peſſimum.

XVII. Idem deficiente jam pulſu inſtantem mortem indicat.

XVIII. Alias per totum corpus ſudore prorumpente, ceu fit ab aſſumto diaphoretico, ſi unica duntaxat quæpiam pars, genu verbi gratia vel femur, ſudorem non emittit, in ea frigidum craſſum tenacemque humorem profunde deliteſcere arguitur.

XIX. Præter hæc *quinto* in morbis maximopere debet attendi Tempus quo ſudor emittitur.

XX. Bonus videlicet eſt, qui diebus criticis, & ſeorſim in intermittentibus morbis in paroxyſmorum fine prodit.

XXI. Malus contra, qui alio tempore; ſoletque morborum difficultatem, longitudinem, recidivas prædicere.

XXII. IN univerſum demum omnis ſudor bonus cum ægrotorum levatione contingit.

XXIII. Malus ex adverſo eſt, quo ægroti non juvantur.

XXIV. Horrorem ſudoribus ſupervenire, periculoſum: niſi fiat ab externa manifeſta cauſſa: quæ ipſa tamen, in acutis præſertim morbis, ſæpenumero graviſſime nocet.

CAPVT XXXVI.

Quid ex Saliva ſit judicandum.

VIdendum jam quænam ſigna ex iis quæ præter vomitum per os excernuntur deſumantur, ſaliva videlicet ac ſputo. Quorum illa proprie loquendo ſine, hoc cum tuſſi rejicitur. Quod bene notavit etiam Mercurialis *l. 3 de excrement. c. 3.*

II. Et in SALIVA quidem potiſſimum debet attendi copia, quæ plerumque ventriculum humoribus refertum eſſe indicat, eapropter lienis obſtructione laborantibus perquam familiaris, vomitum quoque proxime præcedere ſolita.

III. Infantibus etiam ac puerulis largus ejus profluxus perfrequenter accidit ob non unam cauſſam, circa dentitionem præſertim.

IV. Copioſa ſalivæ rejectio in phreneticis valde mala habetur.

V. Qualitates ejus nihil præter humoris abundantis naturam referunt.

VI. Spumoſa tamen nequaquam caloris imbecillitatem & idcir-

& idcirco ex cruditate genitorum flatuum copiam monſtrat; quod nonulli putant; ſed potius majoris caloris humorem rarefacientis eſt certum indicium.

VII. Hinc magnam ſitim & à calore productam ſiccitatem oris ſolet excipere: generoſis etiam equis competit: & alias in iracundis, & demum rabie ipſa percitis animalibus provenire conſuevit. Quamquam in bobus quoque generetur, nec iis omnibus tamen, ſed præſtantioribus duntaxat.

CAPVT XXXVII.

Quid in Sputo ſit obſervandum.

MVlto plura vero ſigna præbet SPVTVM, quæ in pectoris affectibus maximopere debent animadverti.

II. *Primum* Subſtantia & conſiſtentia ejus eſt conſideranda. Nam modetate craſſum coctionem notat: ſicuti contra liquidum ac tenue cruditatem humorum. Qualia proinde in principiis morborum ſolent excerni.

III. Valde craſſum tamen ſimul etiam ſignificare poteſt tales humores & ea de cauſſa difficiliorem morbum: quemadmodum tenue humores itidem tales morbumque facilem ſolutu. Sed ubi ſimul ad ſymptomata & reliqua ſigna reſpiciendum.

IV. Viſcidum ac tenax ſputum in pleuritide difficilis ac longi morbi ſignum habetur.

V. Spumoſum vero in eadem putreſcentem pituitam dicitur indicare: quum equidem potius idem cum ſpumoſa ſaliva argumentum habeam.

VI. Sputum purum & impermiſtum in ſe quidem ſpectatum bonum cenſetur, quale verbi gratia eſt à catarrho: in pleuritide tamen & peripneumonia cruditatem humorum indicat.

VII. Sputum cui pus eſt permiſtum nunc bonæ nunc

malæ

malæ eſt ſignificationis, prout ipſummet pus hujus illiusve notæ fuerit.

VIII. Sputum quod carunculas habet admiſtas, malum eſt.

IX. Item quod annulos. Vtrumque phthiſicis proprium.

X. Nec minus malum, tophos ſive lapillos tuſſi rejicere. Quod itidem aliquando in phthiſicis obſervatur.

XI. *Deinde* Copia ſputi eſt notanda. Multum enim in pectoris affectibus in eorum principio & ſtatu excernere, bonum eſt, utpote & naturæ robur & humores ſequaces ſignificans.

XII. Paucum contra in iisdem rejicere, ſemper malum, utrique quippe illi adverſum indicans.

XIII. At ſputum in iis morbis prorſus ſiſti, letale.

XIV. *Tertio* Figura ſive externa forma ſputi quadamtenus etiam obſervanda nonnullis videtur. Rotundum videlicet pravum, in phthiſicis etiam mortiferum, habetur.

XV. *Quarto* Sapor ſputi diligenter eſt advertendus. Inſipidum quippe in ſe ſpectatum bonum eſt.

XVI. Salſum vero, quale in acribus defluxionibus & hinc excitata ferina tuſſi rejici ſolet, ſemper malum; &, niſi cito corrigatur, tum alios affectus tum & præcipue quidem inſanabilia ulcera pulmonis producere conſuevit.

XVII. Porro dulce ſputum in pleuritide bonum eſt, utpote humoris benignitatem arguens.

XVIII. At acidum, malum. Non quod melancholiæ ſit ſignum, ceu quibusdam viſum: ſed potius magnæ corruptionis & acrimoniæ.

XIX. Amarum quoque ſputum in eodem morbo peſſimum, immo letale.

XX. *Quinto* non negligendus eſt Odor ſputi. Fœtidum namque ſemper eſt malum, utpote putredinem magnam partium

tium corporis ſignificans, & propterea in tabidis mortem ſolet denuntiare.

XXI. *Sexto* demum Color etiam ſputi notandus venit. Et album quidem ſemper bonum habetur, ſi videlicet tale ſimpliciter eſt. Nam ſi alterius generis malæ qualitates ſimul adſunt, & ipſum malum eſt.

XXII. Rubrum ſputum in pleuritide bonum eſt: ac tanto quidem melius, quanto citius apparuerit.

XXIII. At ſine pleuritide rubrum, malum: niſi forte per palatum ſanguis in pulmones delapſus fuerit. In phthiſicis autem deſperatis & extreme ægrotantibus hæmoptyſis mortem ſolet prædicere.

XXIV. Pallidum & flavum ſputum in pleuritide præcipue ſolet ejici, eſtque nullius notabilis ſignificationis præterquam humoris.

XXV. Flavum tamen non permiſtum periculoſum cenſetur, perinde ut alia quoque ſincera ſputa prava putantur, excepto tamen albo.

XXVI. Nigrum ſputum ſemper deterrimum, & plerumque letale: utut ab Avicenna & aliis quoddam nigrum criticum & propterea bonum dicatur, ſed quibus recte reſpondit Mercurialis.

XXVII. Illi proximum viride habetur, & ipſum ſemper malæ ſignificationis.

XXVIII. Pro tali nigro tamen non eſt habendus cruor, qualis interdum poſt narium hæmorrhagiam vel alias per exſcreationem cum pituita ejicitur, non recenter tamen vaſis elapſus.

XXIX. IN univerſum *poſtremo* ſputum quod facile rejicitur, ſemper bonum habetur: quod difficulter, malum.

XXX. Item bonum, cujus rejectionem liberior reſpiratio ſequitur: malum contra, quod reſpirationem non levat,

XXXI. Similiter bonum eſt ſputum, ad cujus excretionem dolor ſedatur, in pleuritide præſertim: pravum, quod dolorem non tollit.

XXXII. Præterea concoctum ſputum in principio morborum rejectum & brevem & ſimul ſalutarem morbum ſignificat: crudum, eundem longum fore.

XXXIII. Item valde & multum perniciosum ſputum, quale præcipue eſt nigrum, in principio apparens, celeram mortem: tale vero ſed paucum, eandem ſed tardiorem prædicit.

CAPVT XXXVIII.

Quid à Lacrymis indicetur.

PORro ad LACRYMAS etiam earumque profuſionem in utraque valetudine eſt attendendum, quamquam accurate loquendo numquam ferme abſque affectu quodam ſive corporis ſive animi prodeant.

II. *Primum* videlicet earum Qualitates ſunt notandæ, ac triplicis quidem generis.

III. Etenim *primo* frigidæ, niſi fiant à riſu, vel ſternutatione, vel intenſo gelu, ſemper malæ cenſentur, utpote cerebri magnam frigidam intemperiem commonſtrantes.

IV. Ex adverſo valde calidæ quoque malæ ſunt, non duntaxat quod juſto calidius ejusdem temperamentum ſignificent, ſed etiam & maxime quidem quod oculos graviſſime lædant.

V. Eadem *deinde* quoque ratio eſt lacrymarum ſalſarum, nimium videlicet. Alias enim omnis lacryma, perinde ut urina & ſudor, ſalſa eſt.

VI. Vnde tam calidarum qnam ſalſarum effuſionem protinus excipere ſolet oculorum rubedo viſusque quædam obſcuratio.

VII.

VII. Craſſæ *tertio* lacrymæ tenuibus ſuccedentes bonæ habentur, utpote coctionem ac paucitatem humorum indicantes, in oculorum videlicet affectibus.

VIII. Tenues autem in iisdem plerumque cruditatem eorundem & eapropter iſtorum diuturnitatem denotant: quamvis nonnunquam ob vaſorum anguſtiam quoque tales prodeant. Alias enim effundi ſolitæ lacrymæ ſemper ſunt tenues.

IX. *Secundo* notanda venit Multitudo lacrymarum. Copioſæ quippe magnam capitis humiditatem arguunt. Vnde dolorem ejus ſæpe comitantur, teneræque ætati quam maxime ſecundum naturam competunt.

X. Larga præterea earum profuſio vehementer offendit oculos, ita ut continuus fletus occæcationem poſſit inducere.

XI. *Tertio* nativæ lacrymæ omnes pravæ judicantur, quod curationem non admittant, in morbis videlicet nonnullis, oculorum præſertim propriis ſive primariis.

XII. Accidentariæ contra, & quæ ſine tali morbo profluunt, minus pravæ cenſentur.

XIII. *Quarto* peculiariter in acutis morbis voluntariæ lacrymæ bonæ ſunt, non voluntariæ malæ.

XIV. Ad non voluntarias autem nequaquam referendæ ſunt, quæ à vehementi frigore, ſinapi, raphano majori, fumo, ſimilibusque eliciuntur, utpote manifeſtam & cogentem cauſſam habentes.

CAPUT XXXIX.

Quid Mucus capitis notabile ſuggerat.

PRæter hæc hactenus recenſita MVCVS etiam, tam qui

per palatum quam qui per nares excernitur, ſuas habet ſignificationes.

II. Qualitates videlicet ejus, puta ſalſedo, acrimonia, tenuitas, aliæ, ipſummet humorem in cerebro collectum vel alias eo delatum indicant. Quæ proinde maxime notari debent in omnis generis catarrhis.

III. Seorſim fœtidus mucus omnis malus eſt, & plerumque putredinem ut & exulcerationem narium comitatur.

IV. Aliquando quoque talis purulentus mucus excretus capitis dolorem ſimili ex cauſſa productum tollit.

V. Copioſus mucus valde humidi & excrementitiis humoribus referti cerebri præbet argumentum.

VI. Paucus contra vel nullus ſicci. Niſi narium anguſtia vel obſtructio excretionem ejus præpediat.

CAPUT XL.

Quæ ſigna ex Aurium ſordibus petantur.

SImiliter etiam SORDES AURIUM priſcis Medicis in uſum ſignorum obſervatæ fuerunt.

II. Et craſſæ quidem bonæ habentur, tenues autem malæ, utpote cruditatis debiliſque caloris indices.

III. Simplices etiam bonæ ſunt, miſtæ vero humores præternaturales (ceu Medici vocant) in capite collectos indicant.

IV. Quales ſunt etiam purulentæ. Quæ tamen excretæ capitis auriumque dolores ſæpe tollunt.

V. Copioſæ quoque capitis humidam intemperiem humorumque abundantiam oſtendunt, uti contra paucæ ſiccitatem ejus.

VI. Colores inſuper earum, præter album & ſubflavum

vum, non ſunt boni, utpote humorum aliorum in tam nobili loco collectorum vel alias eo delatorum argumenta.

VII. Amaræ porro ſemper habentur bonæ, utpote naturalis & conſuetæ conſtitutionis indices.

VIII. Salſæ vero malæ: non quod putredinem ſequantur, ceu quibusdam placet; ſed potius quod acrimoniam humorum arguant.

IX. Dulces autem letales, quod caloris exſtinctionem ſignificent.

X. Fœtidæ demum ſemper itidem ſunt malæ, putredinis quippe vel ulceris indices.

CAPVT XLI.

Quid ex Hæmorrhagia in morbis ſit judicandum.

POſtremo peculiariter HÆMORRHAGIA quoque in nonnullis diuturnis, præcipue vero in acutis morbis, diligenter eſt animadvertenda, utpote inſignes ſignificationes præbens.

II. Debet autem *primum* circa eam notar Locus, è quo ſanguis profluit.

III. Id quod ſecundum naturam *primum* & quidem potiſſimum maximeque fit è naribus, aliquando *deinde* per vaſa ſpeciatim hæmorrhöidalia dicta in inteſtino recto aperta, & ſeorſim *tertio* in fœminis per uterum.

IV. At ex aliis locis excretus ſanguis nunquam bonas ſignificationes præbet.

V. Ideoque hæmoptyſis, vomitus cruentus, urina ſanguinea vel aliud tale profluvium, ſudor cruentus, ejusque generis alia, ſemper mala ſunt, nec unquam ſalutaris criſis ſigna: immo ſimpliciter tales excretiones non ſunt criticæ, quoniam per eas natura nunquam molitur criſin.

VI. Aliæ vero hæmorrhagiæ, quales ſunt vena in crure aliave parte ſponte aperta, in plethoricis præſertim aliquando obſervatæ, uti plane rariſſimæ ſunt, ita prorſus præter ordinem contingunt: ad primas tamen illas ſpecies non incommode referuntur, quod petinde ut frequenter illæ juvent.

VII. *Secundo* Tempus, quo hæmorrhagia fit, probe non minus eſt attendendum, an videlicet critico die vel ſaltem circa eum obveniat.

VIII. Quod ſi vero à principio morbi acciderit, ceu ſæpenumero in acutis & præſertim malignis febribus, qualis eſt morbus Vngaricus dictus, fieri ſolet; peſſimum eſt ſignum, vel mortem vel ſaltem difficilem ac diuturnum morbum plerumque denuntians.

IX. *Tertio* videndum, an talis hæmorrhagia ſufficienti quantitate fiat, ut morbum vel tollat vel ſaltem manifeſto minuat.

X. Etenim ſi juſto parcior fuerit, natura commode juvatur venæſectione inſtituta.

XI. Stillicidium quoque ſanguinis è naribus in morbis ſemper malum, in acutis autem plerumque pernicioſum eſt, è concomitantibus aliis ſignis perpetuo æſtimandum.

XII. Maxime inſuper tale eſt, ſi craſſus atque niger ſanguis ſtillaverit.

XIII. Sin autem nimia fuerit, ſumme eſt periculoſa, ſæpe quoque letalis.

XIV. In univerſum *quarto* in omni hæmorrhagia ad vires & habitudinem ægroti eſt reſpiciendum. Nam quæ eum levat, bona eſt: quæ minus, mala.

XV. Quæ poſtremo memorata in omni alia quoque hæmorrhagia, quæ non eſt critica, ſtricte videlicet dicta & acutis propria; etiam illa quæ fit extra morbum, qualis à plethora contingere ſolet; non minus ſunt obſervanda. *CAPVT*

CAPUT XLII.

Quas ſignificationes Abſceſſus morbis ſupervenientes habeant.

PRæter iſtas omnes excretiones Hippocrates aliique Medici priſci obſervaverunt etiam multas febres per ABSCESSUS judicari: & acutas quidem ſæpe per παρωτίδας, easdem vero aliasque per alios in aliis corporis locis obortos. Quæ omnia diligenter congeſſerunt Iodocus Lommius *lib. 1 obſervation.* Proſper Alpinus *l. 6 de præſag. vita & mor. c. 12*, & *lib. 7, cap. 21*, Andreas Laurentius *lib. 1 de criſib. c. 18 & 20*, Thomas Fienus *par. 1 Semeiotic. ſ. 6, c. 3, §. 2*, alii.

II. Quales criſes apud nos tamen minus frequentes ſunt, præterquam in peſtilentia, & ea quidem præcipue bubonia; quæ vulgo quoque peculiariter peſtilentia nominari conſuevit.

III. In univerſum vero omnis talis abſceſſus bonus eſt, qui non duntaxat procul à vitalibus partibus, ſed etiam in inferiori corporis loco generatur: item qui amplus eſt, & humoris excreti tanquam cauſſæ morbificæ capax: qui præterea maxime foras, nec ægre erumpit: qui denique fit humore concocto, non natura irritata.

IV. Bonus itidem eſt acutus & in faſtigium quoddam aſſurgens, æqualiter item matureſcens, nec durus, vel bifidus.

V. Peſſimus autem, qui prorſus introrſum vergit, neque colore ſuo conſpicuus, item qui planus eſt, ac depreſſus.

VI. Peſſimus etiam, qui in acutis non fit tempore critico, ut & omnis qui non cum allevatione ægroti.

VII. Abſceſſum denique ſubito diſparere, humore intro ad nobiliores partes rapto, funeſtum.

VIII. Quæ omnia ſimul in nullis non abſceſſibus aliis, etiam

etiam ſolis, & qui nullis aliis morbis accedunt, diligenter non minus itidem ſunt notanda.

CAPVT XLIII.

Signa mox futuræ excretionis enumerantur.

ADdenda nunc inſuper ſunt ſigna, excretiones mox adventuras præcedere ac prænuntiare ſolita, & ea quidem præcipua maximeque talia. Nec enim quælibet à nonnullis eo relata propria vel certa ſunt. Id autem tum alias tum in acutis præſertim affectibus obſervare apprime conducit.

II. Per alvum igitur quæ inſtituetur indicare conſueverunt ejus intumeſcentia, flatuum hinc inde diſcurrentium agitatorumque humorum præceps motus, murmur item idque ſæpe perquam ſonorum.

III. Vomitum vero faſtidium & nauſea, ventriculi morſus, tenebricoſa viſio, bilioſi vel alterius mox excernendi humoris in lingua perceptio, crebraque demum ſalivatio.

IV. Dolor enim capitis, difficilis reſpiratio, palpitatio cordis, aliaque ſymptomata, nec ejus propria ſigna ſunt, nec eum ſemper antecedunt.

V. Vrinæ profluvium (quod Laurentius περίρροιαν vocat, quum tamen in Hippocraticis ſcriptis vox illa circumfluum humorum affluxum, maxime qui per alvum excernuntur, denotet) futurum certo prænuntiantia ſigna non dantur, niſi quod gravitas in hypogaſtrio & ardor in extrema urethra quandoqve ſentiatur.

VI. Sudorem proxime præcedunt pulſus undoſus, calor blandus per univerſum corporis habitum diffuſus, calidus item vapor ex eodem copioſe exhalans. Quæ omnia proinde hectici quoque, ſed magno ſuo damno, ſentiunt. Facies inſuper rubeſcere ſolet, item ſæpe horror vel rigor aliquis percipi.

VII. Hæ-

VII. Hæmorrhagiam per nares futuram indicant faciei rubedo, capitis dolor, oculorum caligo, arteriæque temporum ſolito magis pulſantes ac micantes.

VIII. Hæmorrhagiam per uterum antecedere ſolet æſtus ac gravitas lumborum oſſisque ſacri, ut & hypogaſtrii dolor ac tenſio.

IX. Hæmorrhoïdalem fluxum ferme nulla ſunt certo præſignificantia indicia, niſi dolor & major calor ejus loci.

X. Abſceſſum denique futurum potiſſimum prænuntiat dolor in parte quapiam perceptus, non tamen vel ob inflammationem vel ullam aliam manifeſtam cauſſam.

XI. Alia enim tum ad hoc tum cetera excretionum, criticarum præſertim, genera prænoſcenda afferri ſolita ſigna, neque certa neque propria ſunt, & nimis inſuper univerſalia.

CAPVT XLIV.

Quæ circa Externos Senſus eorumque objecta ſint notanda.

POrro quoque diligenter attendi debent ſymptomata SENSVVM eorumque objecta, potiſſimum in prædictionibus inſtituendis, nec minus in præſervatione.

II. Quorum primus & frequentiſſimus & præ aliis maxime afficiens eſt DOLOR. Qui cum oppoſita ſibi Voluptate proprie loquendo omnibus ſenſibus competit, vulgo tamen καθ' ἐξοχὴν peculiariter tactui tribuitur.

III. Omnis igitur dolor eo pejor eſt, quo fuerit acutior, & pertinacior, & diuturnior, & nobiliorem partem vexat.

IV. Quidam tamen ſalutaris eſt, qui in acutis morbis in criſi, in diuturnis item cum excretionibus, in utrisque ſimul aliis bonis ſignis præſentibus, & quem ſolutio vel ſaltem manifeſta mitigatio morbi ſequitur, ſentitur.

V. Seorſim capitis dolor pertinax, vel antiquus, vel

frequens, ſæpe deſinit in epilepſiam, apoplexiam, carum, inſaniam, cæcitatem, ſurditatem, aliosque graviſſimos affectus.

VI. Iidem capitis dolores vehementes cum continua febre valde periculoſi ſunt, ſæpe quoque aliis malis ſignis juncti letales.

VII. Id quod in malignis ac peſtilentibus febribus peculiariter frequens eſt.

VIII. Dolentes dolorem non ſentire, mentis ac ſenſus communis laborantis eſt ſignum.

IX. Dolorem ignobilioris partis in acutis ſubito evaneſcere, ſubſequente anxietate, malum, immo mortiferum.

X. STUPOR ac ſenſus torpor ſive privatio ſæpe apoplexiam prænuntiat.

XI. Idem in acutis morbis exitium præſignificare ſolet.

XII. Magno febrili æſtu laborantes eum tamen non percipere, itidem peſſimum eſt, & plerumque magnæ malignitatis argumentum.

XIII. Peregrinos & alienos SAPORES, ac quales iis quæ aſſumuntur non inſunt, percipere, vel ventriculum, vel linguam, vel vicinas partes male affectas eſſe, indicat.

XIV. Obtuſus autem vel plane deperditus GUSTUS alias & per ſe nihil aliud niſi ſuæ facultatis vitium denotat.

XV. In fatuis tamen ac maniacis obſervatus, læſam mentem concomitans eſt ſymptoma. Tum videlicet, quando abſurda immo noxia ſine diſcrimine devorantur.

XVI. OLFACTUS etiam utroque iſto modo ſe habens, ut videlicet vel parum vel nullos odores percipiat, paris cum priori iſto eſt notæ, ſenſorium nempe ejus non bene affectum eſſe.

XVII. At graves ac fœtidos ODORES ſentire, quum talia tamen nec offerantur nec alias in propinquo ſint, ſummæ putredinis vel in naſo vel in aliis quibusdam partibus vel in toto corpore contentæ eſt ſignum.

XVIII. Idem ſignificat animæ ſive halitus, vel & magis quidem adhuc è toto ægrotantium aut alias valentium corpore citra manifeſtam cauſſam prodiens, fœtidus ac prope verſantibus intolerabilis odor.

XIX. At halitus oris vel etiam è toto corporis habitu exſpirans ſpontanea ſuaveolentia optimam concoctionem ſanguinisque & corporis laudabile temperamentum oſtendit.

XX. Similiter odor, quem peculiarem multi homines emittunt, qualis fuit ſulphureus Cardani, alius aliorum, tum humorum tum corporis habitus conſtitutionem refert.

XXI. SONITVS aurium perpetuus vel frequens in iis qui nondum alias ægrotant, item in diuturnis morbis, plerumque grave malum minatur, epilepſiam videlicet, apoplexiam, & aliquando oblivionem.

XXII. Idque adhuc magis, ſi cum capitis gravitate, dolore, vertigine, aliisque ſymptomatibus fuerit conjunctus; vel eadem præceſſerit.

XXIII. Aſt in acutis vel narium hæmorrhagiam vel delirium præſignificare ſolet.

XXIV. SVRDITAS præterea in iisdem acutis morbis aliquando criſin præcedit, præſertim cum aliis talibus ſignis conjuncta: aliquando ſeorſim parotidas futuras ſignificat.

XXV. Alias ſemper eſt mala; aliis videlicet morbis ſupervenicns ſymptomata: & letalis quidem, quæ malas & ægrotum non juvantes immo lædentes criticas evacuationes ſequitur.

XXVI. Magis adhuc exitium indicat, aliis pernicioſis ſignis una concurrentibus.

XXVII. Maxime vero talis eſt, jam debili exiſtente facultate vitali, viribusque labaſcentibus.

XXVIII. Phrenitidem quoque in nonnullis morbis denuntiat, ſed itidem exitioſam. M 2 XXIX.

XXIX. Oculis porro obverſantes SPLENDORES inſtante criſi narium hæmorrhagiam denuntiant.

XXX. Similiter obſcuratio VISUS idem denotat, illis vel aliis ſignis una apparentibus.

XXXI. Idem ſignificat rubeus color, reapſe tamen à tali externo objecto non exiſtens, viſu perceptus.

XXXII. Viſus autem obtenebratio cum vertigine, aliis ſimul ſignis adjunctis, nunc eandem nunc vomitum indicat.

XXXIII. Poſt criſin vero ægrotantes tenebricoſum viſum habere, aut eorum oculis ſplendores offundi, aut eos lucem ferre non poſſe, aut non videre, ſumme perniciosum.

XXXIV. Item ſi mala evacuatio ſubſequatur, vel abſceſſus aut puſtulæ ſubito diſpareant, vel dolor continuo deſinat.

XXXV. Quod ſi vires inſuper & cum iis pulſus languidæ fuerint, mox imminens exitium indicatur.

XXXVI. Id quod de VERTIGINE quoque, tenebricoſa præſertim, ſimul intelligendum.

XXXVII. Cujus generis ac ſignificationis etiam eſt, ſi res geminæ extreme ægrotantibus morboque confectis apparent.

XXXVIII. Alias vertigo citra febrim diuturna vel frequens ſæpe epilepſiam vel apoplexiam, aliquando oblivionem, melancholiam, carum, cæcitatem, ſurditatem, ſyncopen minatur ac præcedit.

XXXIX. Ægrotos denique, labantibus jam viribus pulſuque languente, non videre, mortem in propinquo denuntiat.

CAPUT XLV.

Quid Internorum Senſuum ac Mentis affectiones indicent.

INternos etiam Senſus ac MENTEM recte ſeſe habere, bonum

num & ſalutare eſt in morbis: ſimul videlicet aliarum quoque facultatum actionibus ſalvis exiſtentibus. Alias enim complures obeunt, ſenſibus licet ac mente ad extremum uſque halitum plane ſibi conſtantibus.

II. In cerebri, diaphragmatis, ſpinalis medullæ, uteri, omniumque aliarum partium vel cerebro vicinarum vel cum eo peculiarem conſenſum habentium, inflammationibus mentem non lædi, ſalutem prænuntiat.

III. Eandem in iisdem perturbari, vel præter ſolitum vacillare, periculoſum eſt, non ſemper tamen exitioſum. Semper videlicet ad alia ſigna & ægrotantium vires ſimul debet reſpici.

IV. In univerſum quippe DELIRIVM leve, parvum, intermittens, mite ac ſine ferocitate, viribus inſuper prævalidis, aliisque malis ſignis nullis apparentibus, numquam eſt exitiale.

V. Non raro quoque tale delirium cum aliis ſignis junctum ſalutarem criſin antecedit.

VI. Id quod potiſſimum fieri ſolet, copioſa morbumque levante hæmorrhagia vel largo & alias itidem bono ſudore ſubſequente deliriumque tollente.

VII. Bonum quoque delirium eſt, quod ſomnus quietus ac placidus excipit, ipſumque vel reſolvit vel ſaltem minuit.

VIII. Vtrobique videlicet delirii cauſſa & hujus ſublatio ſimul indicatur.

IX. Ex adverſo phrenitica deliria, hoc eſt, vehementiſſima, furioſa, ferina, etiam nonnunquam obſcura & blanda viſa, plerumque letalia ſunt.

X. Idque adhuc magis, aliis pernicioſis ſignis una præſentibus. Qualia potiſſimum ſunt: vigiliæ nimiæ vel ſopor, ſilentium, tremor, ſingultus, convulſio, collapſæ vires, cibi

& præſertim in magno æſtu potus appetentia nulla, reſpiratio mala.

XI. OBLIVIO porro eorum, vel quæ dudum vel modo contigerunt vel quæ concupiſcunt & jam volunt eloqui ægrotantes, longis morbis ſuperveniens, non duntaxat inſanabilem morbum ſed etiam appropinquantem mortem ſignificat, aliis perniciofis ſignis una præſentibus. Nam ſola nihil niſi ſenſus ſui morbum indicat, qualis per complures annos poteſt durare.

XII. In acutis autem ſumme pernicioſa eſt, languentibus viribus, aliisque exitioſis ſignis ſimul obſervatis.

XIII. Eadem in iisdem æſtuantem calorem excipiens letalis, oppreſſi videlicet calidi nativi index.

XIV. E delirio prognata oblivio nunc plus nunc minus periculi habet, prout ipſum magis vel minus fuerit malum. Vnde in phreneticis cum aliis ſignis exitium denotat.

XV. Aliquando tamen criſin prænuntiat, è concomitantibus ſignis æſtimanda.

XVI. Ad oblivionem pariter ac perturbatam phantaſiam cujuscunque generis, ſive cum aliis morbis conjunctam, ſive non, pertinet etiam familiares vel alias notos non agnoſcere. Quod quid denuntiet, è cetera valetudine concurrentibusque aliis ſymptomatibus eſt judicandum.

XVII. Poſtremo quod de memoriæ læſione dictum, idem ſimul etiam de STVPIDITATE & fatuitate ac ſtoliditate aliis morbis accedente eſt intelligendum.

XVIII. Quod ſi uterque & memoriæ & mentis defectus conjungatur, tanto deteriorem præbet ſignificationem.

XIX. Ignavia demum mentis & animi torpor in diuturnis morbis ſæpe, in acutis perpetuo letalis eſſe ſolet, præter conſuetudinem videlicet ægrotorum notata.

CAPVT

CAPVT XLVI.

Quid ex Vigilia, Somno, Somniis ſit colligendum.

ISTis ſignis protinus jungenda ſunt, quæ VIGILIA, SOMNVS & SOMNIA dant, tum in dijudicando tum in prædicendo notatu maxime neceſſaria.

II. Scilicet quando hæc omnia bene ſeſe habent, nec in morbis mutantur, ſed naturalem ſtatum ſervant, conſuetoque more fiunt, utique bonæ ſalutarisque ſunt ſignificationis.

III. VIGILIÆ multæ naturaliter alicui competentes, nec aliam manifeſtam cauſſam habentes, calidius ac ſiccius cerebrum indicant, ingeniique præſtantiam arguunt.

IV. Vnde pervigilia alias conſueta in ægrotantibus minus ſunt mala, quam inſolentia.

V. In morbis autem vigiliæ, immodicæ videlicet, etſi omnes malæ ſunt, aliquando tamen bonum præbent ſignum, bonas criſes, & maxime quidem narium hæmorrhagias, antecedendo: è concomitantibus aliis ſignis & potiſſimum eventu dijudicandæ.

VI. Alias in febribus ardentibus aliisque acutis convulſiones letales ſæpe antecedunt.

VII. Perpetuæ quoque vigiliæ in acutis letales exiſtunt, præſertim alio quopiam pernicioſo ſigno juncto.

VIII. Similiter vigiliæ, quas malæ nec ægrotum juvantes evacuationes ſequuntur, exitium certum præmonſtrant.

IX. Diuturna pervigilia in ceteroqui valentibus delirium & ſeorſim maniam portendunt: niſi forte à mœrore vel alia manifeſta cauſſa fuerint orta.

X. SOMNOLENTIA contra, naturalis itidem nec ab eviden-

evidenti quadam cauſſa producta, frigidius & humidius cerebrum torpidumque ingenium demonſtrat.

XI. In morbis autem omnis in univerſum ſomnus, perinde ut & vigilia, neque naturæ modum neque conſuetudinem excedens, bonus: contrarie vero ſeſe habens, malus eſt.

XII. Similiter ſomnus ægrotum levans, bonus: nihil juvans, malus: inſuper etiam lædens, peſſimus, immo letalis eſt.

XIII. Seorſim vel inflammationem vel febrem vel dolorem vel delirium ſedans ſomnus, bonus ac ſalutaris eſt.

XIV. Plures vigilias excipens ſomnus, longus licet ac profundus, at ſuavis & placidus, itidem bonus eſt.

XV. Comata in principiis morborum graves ac periculoſos eos eſſe indicant: in eorundem vigore ſæpe ſunt pernicioſa.

XVI. Aliquando tamen criticam evacuationem per narium hæmorrhagiam aut parotidas futuram præcedunt, ex aliis ſignis cognoſcenda.

XVII. Sopor ſive veternus, qualis eſt in lethargo, comate, caro, calidiſſimum morbum ac diuturnas & continuas vigilias excipiens, letalis eſt.

XVIII. Talis item, qui cum debili pulſu & delirio & extremarum partium refrigeratione conjungitur.

XIX. Quibus omnino quoque jungenda ſunt INSOMNIA, quæ non exiguam itidem dant ſignificationem.

XX. Et multa quidem ac perpetua vel frequentia in bene valentibus mobilem phantaſiam arguunt.

XXI. Quieta præterea & placida in utraque valetudine bonum præbent ſignum.

XXII. Turbulenta vero, quæ dormientes, aut quod ſpectra cernere aut hoſtes ſe perſequi vel apprehendere aut è

ſublimi

ſublimi præcipitari videantur aut ob aliam ſimilem terribilem quamcunque cauſſam apparentem, faciunt expaveſcere, exſilire, exclamare, vel alias angi; in adhuc ſanis imminentes, in ægrotantibus graves ac vehementes morbos indicant.

XXIII. Scorſim epilepſiam, apoplexiam, delirium talia ſomnia ſæpe minitantur.

XXIV. Inſomnia, quibus dormientes in aquis verſari vel iisdem mergi videntur, humorum & præſertim aqueorum in corpore abundantiam & hinc oriundos morbos declarant.

XXV. Sed & ſomnia non raro quaſi critica ſunt, unde de morbi principio & incremento & decremento & eventu certi quid poſſit cognoſci. Morbo videlicet imminente & augeſcente & in eodem ſtatu perdurante ſomnia ſunt gravia, corpusque pigrum, & pedes ad motum inepti ipſis videntur: remittente & decedente, ſomnia levia & jucunda, corpusque magis agile, ac pedes ad incedendum vel ſcandendum apti ac promti per quietem ipſis apparent: & utrumque adhuc magis, quo plus morbus vel augetur vel imminuitur.

XXVI. Plura inſuper alia ex inſomniis petenda ſigna *lib. III. obſervation.* Lommius notavit; ſed quæ longius, partim etiam potius aliunde ex oneirocriticis ſuperſtitioſis deſumta eſſe videntur.

CAPVT XLVII.

Ex affectionibus ad Motum tum totius tum partium pertinentibus quid colligendum.

SEquuntur ſigna, quæ circa MOTUM tam totius corporis quam partium ejus contingunt; itidem permagnæ, in morbis præſertim, ſignificationis.

II. Quo primum pertinent LASSITVDINES, utut ab aliis ad tactus ſymptomata referri ſoleant, eæque ſpontaneæ. Nam quæ manifeſtis externis è cauſſis oriuntur, heic non attenduntur.

III. Eæ vero aliquando bonæ ſunt ſignificationis, ſive in quibusdam duntaxat partibus ſive in toto ſentiantur, cum coctionis ſignis apparentes, utpote morbum ejusque cauſſam ab internis partibus ad exteriores propelli declarantes. Quales etiam ſæpe in acutis morbis jam declinantibus percipiuntur.

IV. Optimæ quoque ſunt, quæ evacuatione facta, ſive naturali ſponte ſive arte fuerit excitata, ægrotumque juvante, ſimul ceſſant.

V. At quæ crudis adhuc humoribus deprehenduntur, malæ: cum aliis inſuper malis ſignis perceptæ, peſſimæ: & tanto quidem pejores, quanto plura alia mala ſymptomata ſimul adſunt.

VI. Malæ quoque, quas nulla evacuatio tollit vel levat.

VII. Initio morborum gravitatem eorum denotant: ſemper etiam morbum portendunt.

VIII Quod ſi ſubito præterea quem prehendant, vehementiaque ſua ſtatim opprimant, magnæ malignitatis certum dant argumentum: malignarum ac peſtilentium febrium perpetuæ comites.

IX Quod ſi perniciosum quodpiam ſignum una jungatur, letales eſſe ſolent.

X. Illis affinis eſt TORPOR ſeu motus difficultas, ſimul tamen etiam ſenſu tactus affecto. Qui in alias valentibus apoplexiam ſæpe prænuntiat.

XI. Alias etiam nunquam bonus: niſi fortaſſis obſervetur inter criſin præcedentia ſigna; quod tamen perquam rarum.

XII. Optimum vero eſt, ſi corpus facile convertunt ægrotantes, alacriter item & promte ſurgunt, ſedent, ſtant, membra ſuſtinent.

XIII. Contra gravitas vel totius corporis vel manuum ac pedum, nulla ex evidenti prægreſſa cauſſa, mala.

XIV. Similiter paralyſis & paraplegia in acutis morbis & vulne-

vulneribus nuper illatis perpetuo malæ, immo pernicioſæ ſunt. Multo magis adhuc ipſa apoplexia.

XV. Aſt inſolens VIGOR in ſenibus aut ægrotantibus aut valetudinariis, alias languidis, ſemper eſt ſuſpectus, ſæpenumero quoque brevi ſubſecuturam mortem portendit.

XVI. Huc porro pertinet HORROR. A quo ſi continuæ febres intermittere incipiunt, item quem critica eaque bona evacuatio excipit, bonus eſt.

XVII. Malus contra, qui in tabidis ac ſuppuratis, item in peſtilentibus morbis ſentitur, ut & quem prava evacuatio ſequitur. In quibus omnibus etiam letalis eſt, uni vel alteri ſimilis notæ ſigno junctus.

XVIII. Item poſt ſudorem horror malus; ſcilicet ab externa cauſſa non excitatus.

XIX. Crebri vero & qui celeriter permutantur horrores difficultatem morborum arguunt.

XX. Eo vehementior adhuc eſt RIGOR, & propterea majori vi corpus concutit. Eſt autem omnis bonus, qui periodicus in febribus obſervatur, & quem paroxyſmi intermiſſio deinceps ſequitur. Idque tanto magis, quanto major hæc fuerit.

XXI. Bonus etiam eſt, à quo corpus probe caleſit.

XXII. Optimus autem criticus, quem optima & ægrotum juvans ac febrem vel prorſus tollens vel ſaltem minuens evacuatio ſequitur.

XXIII. E contrario mali rigores primum ſunt, à quibus corpora vel parum vel nihil incaleſcunt. Indicium quippe præbent calidi nativi plane languidi vel exſtincti.

XXIV. Pernicioſi deinde ſunt rigores critici mali, quos aut nulla aut mala evacuatio ſubſequitur, vel cum quibus conjungitur.

XXV. Similiter porro letales ſunt rigores, qui languidis jam viribus ſuperveniunt.

N 2 XXVI. Sed

XXVI. Sed & ad concomitantia ſigna ſemper eſt attendendum. Quod ſi enim illa quoque mala fuerint, etiam rigores plus periculi minantur: ſin inſuper letalia, rigores quoque ſunt tales. Id quod in acutis febribus præcipue notandum.

XXVII. Poſtremo pravi ſunt rigores frequentes aut continui. Significant enim fruſtra criſin à natura tentari, calidique nativi debilitatem.

XXVIII. Sequitur TREMOR. Qui citra manifeſtam cauſſam exortus, in morborum principiis eorundem gravitatem vel etiam malignitatem humorumque multitudinem declarare ſolet, ſimul tamen concomitantibus aliis ſymptomatibus attentis.

XXIX. Aliquando quoque citra alium morbum apparens apoplexiam præcedit.

XXX. In morbis autem nonnunquam juxta cum aliis ſignis criſin denuntiat, & ſeorſim vomitum inſtantem inferioris labri tremor, bonæ utique tum ſignificationis.

XXXI. At in ardentibus febribus, præcipue vero phrenitide, ut & quavis alia gravi cerebri læſione, ſupervenientes tremores exitium præmonſtrant.

XXXII. Eos excipit PALPITATIO. Quæ, ſive cum aliis morbis conjungatur ſive ſine iis ſit, ſemper eſt mala, & omnium maxime perpetua vel frequens, totumque corpus, aut plures partes ſimul, aut nobile viſcus, infeſtans.

XXXIII. In acutis autem morbis palpitationes tales peſſimæ ſunt ac letales: niſi fortaſſis inter ſigna criticam excretionem præcedentia compareant.

XXXIV. Seorſim cordis palpitatio perpetua, vel frequens, vel periodica, ſæpe ſyncopen, ſemper autem μικροβιότητα minatur.

XXXV. Porro non minus permagnæ ac perpetuo quidem malæ ſignificationis eſt CONVULSIO. Quæ ſi univerſalis fuerit, τέτανος Græcis, Celſo rigor dicta, & in quartum diem duraverit letalis eſt.

XXXVI. Alias

XXXVI. Alias etiam quælibet convulſiones, ſive ſint permanentes ac ſine conſpicuo motu, ſive cum motu crebro & interrupto, quæ convulſivi motus nonnullis nominantur, nunquam periculo carent, præſertim diu durantes vel frequentes.

XXXVII. Convulſiones ex repletione ortæ minus periculoſæ ſunt iis quæ propter inanitionem concitantur.

XXXVIII. Unde convulſio nimiam purgationem vel ſanguinis profuſionem excipiens, valde mala eſt: ab hellebori autem vel alîus violenter agentis medicamenti venenive uſu, item vulnerationibus ſuperveniens, letalis.

XXXIX. In febribus præterea acutis ſæpe ſunt pernicioſæ convulſiones, magis adhuc in ardentibus, maximeque in phreneticis: ſemper morbi gravitatem declarant.

XL. Numquam tamen quoque non alia ſymptomata vel præcedentia vel concomitantia vel ſubſequentia debent ſimul attendi. Prout enim illa fuerint magis minuſve mala, etiam convulſiones nunc plus nunc minus mali habent. Unde convulſio cum peſſimo quocunque ſymptomate juncta mox imminentem mortem certo prænuntiat.

XLI. Seorſim quoque notari debet convulſio ſive STRIDOR dentium. In iis enim qui eum pati à pueritia non conſueverunt, valde periculoſus eſt, delirium prænuntiando.

XLII. Eidem vero ſuperveniens, & in acutis morbis, exitioſus eſt; ſi videlicet alias inſolens fuerit.

XLIII. Ejusdem generis eſt & STERNUTATIO. Quæ nonnunquam paroxyſmos morborum, epilepticos præſertim, ſolvit: eundem quoque affectum ut & apoplexiam imminentem, excretione videlicet vel ſaltem diſcuſſione humoris tanquam cauſſæ facta, averruncat.

XLIV. Nihilominus, niſi ab externis evidentibus ac neceſſariis cauſſis producatur, ab humoribus aggravatum caput ſemper indicat. Et qui quotidie continuatisque aliquot vicibus

ſternutant, in apoplexiam ſimiliaque ſymptomata valde ſunt proclives.

XLV. Huc porro pertinet OSCITATIO. Quæ languores & obſcuram adhuc invaletudinem, capitis præſertim intemperiem humidam, ſæpe quoque appropinquantes febrium paroxyſmos indicare ſolet.

XLVI. Ejus plane quoque notæ ac ſignificationis poſtremo eſt PANDICULATIO, totum tamen corporis habitum concernens, ejusque conſtitutionem manifeſtans.

CAPUT XLVIII.

Ex Inquietudine ac Decubitu ut & animi Angore quid judicari poſsit.

HIs adddenda ſunt ſigna, quæ commotio corporis decumbentium vel dormientium vel vigilantium, ſive pro ſanis adhuc habeantur ſive jam manifeſto ægrotent, exhibet.

II. Qualis primum eſt omnium frequentiſſima plurimisque obtingere ſolita JACTATIO ſive Inquietatio ſive Anxietas, quando præſens decubitus forma ſemper moleſta eſt, & eapropter ſubinde mutatur.

III. Quæ in alias valentibus vel ventriculum ab aſſumtis alimentis, vel eundem vel alias partes vel etiam totum corpus ab ebullientibus humoribus gravari, & idcirco morbos jam fieri, & evacuatione eſſe opus, indicat.

IV. In febribus autem, in quarum vigore potiſſimum contingere ſolet, earundem gravitatem vel etiam malignitatem, vel partium inflammationem, ſignificat. Idcirco continuarum, ardentium, malignarum, peſtilentiumque febrium perpetuum ſymptoma.

V. In iisdem tamen ut & aliis morbis criticam vel aliam ſalutarem excretionem ſæpe præcedit, vomitum videlicet, diarrhœam, hæmorrhagiam, ſudorem, vel quæ cum eo expelluntur macula-

macularum & puſtularum: ex aliis ſignis adjunctis, quod item inde manifeſto juventur ægrotantes, & anxietas ceſſet, æſtimanda.

VI. Quæ vero cum mala excretione fit, aut eam ſequitur, ſemper & ipſa eſt mala: item quæ vulnerationi aut percusſioni ſupervenit: cumque alio pernicioſo ſymptomate juncta, futuram mortem eo certius confirmat.

VII. Nec minus reliquus omnis ægrotantium DECUBITUS diligenter obſervandus eſt. Etenim ſi non differt ab eo quo ſani ſoliti ſunt uti, bonus eſt, morbumque periculo vacare declarat.

VIII. Optimus autem ex omnibus decubitus formis modus eſt, ut primum decumbens in alterutrum latus incumbat, utque deinde cervicem manus & crura paullum reducta, non immoderate vel reducta vel extenta, habeat. Quem corporis alterum poſitum Galenus mollem vocavit.

IX At ſupinum cubare, brachiis & cruribus extentis & projectis, vel ea ſubinde adducendo & rurſum projiciendo, malum, ſæpe quoque morientium eſt.

X. Jacentem porro deorſum verſus pedes delabi, periculoſum, immo letale.

XI. Corpus inſuper ſupinum decumbere projecti cadaveris inſtar, ita ut omnia membra proſtrata ſint, & caput in pulvinar erectum reflectatur & quaſi relabatur, aut ſublato mento quidquid eſt anterioris colli promineat, aut mentum claviculas contingat, peſſimum eſt proximæque mortis argumentum.

XII. Ægrotos ad margines lecti ſe provolvere, porro pedes exſerere, dein corpus erigere, ac niſi cohibeantur vel excidere lecto vel ſurgere, quod delirantes ſolent, funeſtum.

XIII. Alias etiam in ipſo morbi vigore ægrotos velle erectos ſedere, vel inambulare, in quolibet acuto morbo valde malum eſt, ſeorſim in pleuritide & peripneumonia peſſimum.

XIV. Pe-

XIV. Pedes ac manus ut & collum citra magnum calorem denudare ægrotos, malum: niſi fiat ex mollitie delicatis propria vel conſuetudine.

XV. Pudenda vero denudare, vel ea contingere ſive contrectare, delirantium eſt, & in acutis morbis funeſtum.

XVI. Prono corpore ſomnum capere vel alias cubare ægrotantes, aut delirii aut doloris circa ventrem eſt ſignum: niſi itidem ex conſuetudine vel mollitie fiat.

XVII. Manus demum ſine cauſſa naribus frequenter admovere, aut digitis micare, aut floccos de culcitis vellere, aut quæ in parietum ſuperficie ſunt decerpere, aut quaſi muſcas venari, aut aliud ſimile quidpiam agere, malum eſt & periculum minatur.

XVIII. Anxietati iſti non immerito additur alia, prorſus alterius generis quidem, cum illa tamen non raro conjuncta, ejusque ſæpenumero cauſſa, ANGOR videlicet animi ſeu cordis. Qualis eſt male ſibi conſciorum, melancholicorum, necem ſibi conſciſcere molientium, à cacodæmone vexatorum.

XIX. Alias item angor à multis percipitur ab arcano animi motu in periculo vel alias adverſitate imminente, ſed ab illo prorſus diverſus, & peculiari ſuo, perinde tamen ἀφάτῳ modo, cor animumque afficiens.

XX. Alius porro eſt angor in ἀγωνίᾳ peculiariter dicta ſentiri ſolitus ab omnibus iis, qui quampiam rem majoris minorisve momenti non ſine trepidatione aggrediuntur.

XXI. A quibus omnibus poſtremo itidem diverſa eſt anguſtia cordis ac præcordiorum, quæ ſeorſim multos moribundos affligere conſuevit, ob ſanguinis circa cor ſubſiſtentis liberum motum impeditum.

CAPVT XLIX.

Quid Capitis eique junctarum quarundam partium ſymptomata ſignificent.

SEd & aliarum præterea quarundam partium affectiones itidem probe ſunt notandæ. Quas inrerprimum FAVCES diligenter ſunt obſervandæ. Quæ in acutis & præſertim malignis febribus ab humorum affluxu valde celeriterque ſolent oppleri. Quod peſſimum eſt ac ſæpenumero letale.

II. Earundem rubedo in angina habetur bona, ſi collum & pectus una fuerit rubrum.

III. Earundem dolor in febre ſine tumore conſpicuo ſed cum reſpirandi difficultate latentem ſubitoque perimentem anginam indicat.

IV. In iiſdem febribus deinde maximopere quoque debet inſpici LINGVA. Quæ ſi bene valenti ſimilis eſt, nec ab externa quapiam cauſſa id habet, in omnibus illis morbis ſemper bonum præbet indicium.

V. At mala primum eſt alba, quam Proſper Alpinus *l. 5 de præſag. vita & mor. ægrot. c. 9* craſſam cœnoſam vocat: quamquam ſola nullum periculum, niſi aliis ſymptomatibus ſimul attentis, indicet.

VI. Ejus ſpecies eſt, quam prunellam albam nominant, quando in angina lentore tenaci albo inſtar viſci non lingua duntaxat ſed totum quoque palatum & uvula cum dentibus & faucibus atque œſophago obducuntur. Id quod peſſimum eſt & plerumque exitioſum.

VII. Priori illa pejor eſt lingua flava: & hac multo periculoſior adhuc valdeque metuenda & ſæpiſſime letalis nigra, ardentium febrium proprium ſymptoma.

VIII. Lividi vero coloris lingua omnium maxime eſt letalis.

IX. Lingua nimis aucta vel imminuta, ut & arida, aduſta, fiſſa, exulcerata, omnis quidem valde mala eſt, in morbis præſertim aliis; non tamen protinus mortis argumentum, ſed ex aliis ſymptomatibus judicanda.

X. Ægrotantes liquida exhibita non deglutire, ſed ea ſponte delabi per œſophagum, aut regurgitare, muſculos laryngis vel oſſis hyoidis vel linguæ aut omnes ſimul convulſos vel relaxatos eſſe indicat, certiſſimo mortis indicio.

XI. Similiter tremula & convulſa lingua, balbutiei cauſſa, in acutis & continuis febribus, adeoque intenſiſſimum calorem ac ſiccitatem excipiens, interitum denotat.

XII. Etiam VOX acuta, rauca, clangoſa, tremula, in continuis & acutis febribus ſemper eſt mala, maxime vero in phreneticis & ardentibus.

XIII. ἀφωνία itidem ſeu vocis & loquutionis interceptio, vox item ſubmiſſa nec amplius perceptibilis, in febribus perpetuo eſt mala: cum pernicioſis aliis ſignis prorſus letalis: item quæ capitis percuſſionem cerebrique læſionem excipit.

XIV. Linguis autem peregrinis quasque non callet quempiam loqui, cauſſam naturali ſuperiorem certiſſime demonſtrat.

XV. Porro LENTORES ſupra linguam & ad dentes colligi, ita ut aperto ore quaſi fila diducantur, caloris ac febris magnitudinem & incrementum ſignificat.

XVI. Eosdem dentibus adhærentes nigreſcere, in acutis febribus ut plurimum mortem prænuntiat.

XVII. Hianti ORE citra neceſſitatem vel conſuetudinem dormire malum, & in acutis cum aliis ſignis exitioſum.

XVIII. LABRA, NASVM, PALPEBRAS, perverti aut livida reddi, cum alio quopiam pernicioſo ſigno, mortem in propinquo eſſe denuntiat.

XIX. Palpebras crebro diuque convelli & præter volunta-

luntatem motari, ſi capitis gravedo vel catarrhus adſit, in apoplexiam proclivitatem arguit.

XX. GENÆ rubræ in morbis aut inflammationem vel capitis vel pectoris aut empyema aut hæmorrhagiam narium aut ſudorem futurum, ſimul aliis ſignis præſentibus, oſtendunt.

XXI. Lividæ vero vel nigreſcentes cum aliis malis ſignis mortem prænuntiant.

XXII. Præterea diligenter & accurate obſervari debent OCVLI. Qui ſi per morbos non mutantur, ſed recte valentibus ſimiles ſunt, ſalutem ſuadent: aliis videlicet bonis ſignis reſpondentibus. Alioquin enim illorum ſola nec bona conſtitutio ad morbi bonum eventum nec mala ad malum prædicendum ſufficit.

XXIII. Optime vero ſeſe habent oculi floridi coloris, pleni, ſplendidi, cominus & eminus & in aëre ſine moleſtia luminoſum videntes, palpebras recte aperientes & claudentes, nullo rubore vel livore vel nigrore infecti, ſine lacrymis demum qui ſunt & excrementis.

XXIV. Mali contra & in morbis pepetuo malæ immo partim exitioſæ ſignificationis ſunt oculi lucem fugientes, rubri, quorum in albo venulæ filamentorum inſtar rubent aut livent aut nigricant, feroces ſeu fixi ſeu torvide ſpectantes, hebetes, debiles, cavi, tumidi, prominentes, marcidi, alter altero minor, ſqualidi, pulviſculo quaſi conſperſi, clauſi vel ſemiclauſi ſive ſuſpicientes palpebris non conniventibus, ſublimes, inſtabiles, immobiles, perverſi, ſtupidi, nimis aut minus ſplendentes vel ſplendore carentes, obſcurati, lacrymantes, in quibus pituitoſum excrementum colligitur: niſi quædam ex illis ſymptomatibus criticam evacuationem & præſertim narium hæmorrhagiam præcedant, vel ipſi ab alia evidenti cauſſa ſint tales.

XXV. Seorſim oculos huc illuc agitari in extreme ægrotantibus peſſimum. Convulſivum quippe eſt.

XXVI. Sed & univerſa FACIES non exigui momenti ſigna exhibet. In acutis enim ſi non mutatur, ſed ſimilis apparet bene valentium faciei, ſalutis ſpem facit: ſin contraria, periculum magnum denotat.

XXVII. Rubra facies aliquando narium hæmorrhagiam futuram indicat, plerumque continuas febres & inſtammationes, nonnunquam phrenitidem eamque exitioſam comitatur, ex aliis adjunctis ſignis ſemper æſtimanda.

XXVIII. Tumida quoque facies nonnullis morbis ſuperveniens mala, in ipſis ferme moribundis conſpici tum ſolita.

XXIX. Omnium vero peſſima facies eſt, quam cadaveroſam vocant, item Hippocraticam, quod ab eo *lib. 1 prognoſt. aph. 3* deſcripta ſit: ubi videlicet ſunt nares acutæ, oculi concavi, tempora collapſa, cutis circa frontem dura & circumtenta & arida, totiusque faciei color pallidus aut niger aut lividus aut plumbeus: niſi præceſſerit longa vigilia, vel inedia, vel nimius alvi fluxus, vel vehemens animi affectus.

XXX. Quibus addendæ ſunt etiam AVRES. Quæ ſi lividæ vel nigræ fiunt in acutis morbis, item frigidæ & contractæ, earumque lobi inverſi, mortis ſunt indices.

XXXI. Earundem acutus dolor in continuis febribus periculoſiſſimus eſt, niſi ſit ab abſceſſu & pure concluſo.

CAPVT L.

Ex Hypochondriorum, Ignobilium dictarum, Extremarumque corporis partium conſtitutione quid cognoſcatur.

PRæterea neque HYPOCHONDRIA negligenda ſunt. Bona quippe mollia, æqualia, dolore vacantia.

II. E

II. E contrario tenſa, dura, inæqualia, in tumorem elata, dolentia, perpetuo mala: non niſi per accidens bona, criſin videlicet præcedentia. Arguunt enim partes vel ab humoribus obſtructas vel inflammatas vel flatus in iis concluſos.

III. In quibus omnibus tamen ad cetera ſigna ſemper ſimul eſt reſpiciendum, quæ tum cauſſam tum an periculum ſubſit nec ne monſtrabunt.

IV. Porro IGNOBILES dictæ partes (ſunt autem partes extimæ cutis, poſt aures, ſub alis, & inguine) in morbis apprime conſiderari debent. Ad eas enim delati humores, & vel maculas vel puſtulas vel pruritum vel ſcabiem vel tumores vel abſceſſus excitando, ſalutis ſpem faciunt: dummodo critice tamen id fiat in acutis, & alias ſemper cum manifeſta ægroti allevatione.

V. Item ſi factæ excretiones illæ in iſtis locis ſatis diu commorentur. Nam ſubito rurſus diſparentes ad nobiliores partes abreptorum humorum argumentum præbent. Id quod peſſimum, ac ſæpenumero letale, ſemper etiam cum novo morbi incremento eſt conjunctum.

VI. Hujus generis eſt, quæ peculiariter febricitantibus obtingere ſolet, labiorum ſcabies, nunc perfecte nunc imperfecte morbum ſolvens.

VII. Similiter itidem ſcabies alia, quæ nonnunquam quaſi critica eſt, aliosque morbos tollit; diligenter tamen diſtinguenda ab illa, quæ proprie eſt morbus.

VIII. Eodem modo ſcorbuticæ maculæ prodeuntes ſæpiſſime manifeſto demunt laſſitudinem.

IX. Sed & EXTREMÆ corporis partes præter ſuperius jam notata inſuper alia dant ſigna. Earum videlicet frigiditas in continuis febribus ſemper eſt mala, ſæpe exitium, perpetuo malignitatem denotans.

X. Quæ cum aliis pernicioſis ſymptomatibus conjungitur, eo certius inſtantem mortem prædicit.

XI. Quocunque ſive acuto ſive diuturno morbo extreme laborantibus eædem partes ſi refrigerantur, ita ut frigiditas initio moderata ſit, dein vehementior fiat & intendatur, eæque vel parum vel nihil recaleſcant, & præterea vel nigreſcant vel & inprimis quidem liveſcant, itidem proxime mors imminet.

XII. Easdem partes repente crebriusque modo calidas modo frigidas fieri, in omnibus morbis malum, in malignis peſſimum, & tam in his quam aliis ſæpe mortiferum.

CAPUT LI.

Ex Habitu corporis quæ ſigna ſint deſumenda.

NEc minus univerſi corporis HABITUS in ægrotantibus, immo omnibus qualicunque valetudine utentibus, diligenter debet conſiderari. Quo primum pertinet ejus Calor. Qui ſi recte valentium calori ſimilis eſt; in febribus item ſi temperatus, ſuavis; in omnibus partibus æqualis, cum quodam humido; optimus eſt: dummodo tamen blandus non ſit à morbi malignitate, neque hecticus; quod è concomitantibus ſignis dijudicandum.

II. Contrarius omnis, & cui vel una earum notarum deeſt, malus.

III. Febricitantium corpora, prægreſſa evacuatione quadam, non duntaxat febrili calore non liberari, ſed magis etiam inſuper incaleſcere, itidem malum.

IV. Ex adverſo refrigerata corpora vix recaleſcere, in acutis ſumme pernicioſum.

V. Corpora quoque cito incaleſcere citoque frigeſieri malum, morbique ſumme maligni, &, ſi non letalis, ſaltem difficilis ac longi eſt ſignum.

VI. Frigiditas vel potius moderata caliditas, poſt aliquam

quam bonam evacuationem, pulſu mediocri reddito, apparens, ſalutaris eſt.

VII. Frigiditas corporis in continuis febribus in nonnullit robuſtis corporibus morbi longitudinem; in aliis, præſertim languidis, exitium præmonſtrat: idque adhuc magis, ſi frigus intenſum ſit, diuque perſiſtat, ac tandem cum duritie vel lividitate conjungatur.

VIII. Corpora refrigerata ſenſim & æqualiter calefieri, optimum: inæqualiter autem, ſemper malum, & ſæpe peſſimum.

IX. Alias etiam quæcunque celeres mutationes caloris ac frigoris, coloris, aliorumque quorumlibet ſymptomatum, ita ut hæc vel illa pars modo caleat modo frigeat, modo rubeat modo palleat, modo hæc modo illa doleat, modo ægrotus quietus ſit modo inquietus, modo vigilet modo dormiat, modo ſapiat modo deliret; in aliis morbis longitudinem, in acutiſſimis mortem ſignificant.

X. In univerſum quæcunque valetudinis nunc in melius nunc in deterius ſubitæ alternæ mutationes malæ.

XI. Acuto vel alio eoque inſanabili morbo laborantibus ſi vel totum corpus vel quæpiam pars multa humorum copia hydropis inſtar repletur, aut contra aridum & durum redditur, letale ſolet eſſe indicium cum aliis ſignis.

XII. Colorem porro corporis mutari ex ratione caloris vel augeſcentis vel decreſcentis, & dein ad priſtinum redire, ratione quoque bonæ criſis futuræ; utrumque bonum, aliis videlicet bonis ſignis ſimul apparentibus: malum præterea colorem in bonum mutari, melius adhuc ſignum: cetera omnis ejusdem mutatio numquam bona; eoque pejor, quo pejora alia ſigna eam comitantur.

XIII. Ruber inſuper color magnitudinis caloris, ac ſæpe inflammationis: flavus, bilis; viridis, veneni: albus & pallidus,

vel

vel pituitæ vel caloris exſtincti : lividus & niger, ſummæ corruptionis ac putredinis, ſive à veneno ſive ab alia maligna cauſſa productæ, niſi ſit à ſanguine cuti ſuffuſo ; index eſſe ſolet.

XIV. Idem de maculis vel puſtulis vel tumoribus, tum in aliis tum malignis ac peſtilentibus morbis hinc inde in corpore oriri ſolitis, ſimul intelligendum.

XV. Seorſim præterea flavus ſive ictericius color aliis morbis ſuperveniens ſingulariter eſt obſervandus. Etenim qui fit per criſin, vel quaſi ita per aliam excretionem, & ſic quidem, ut nec urinæ croceo colore tinctæ nec alvi fæces albæ ſint, quod utrumque proprium ſymptoma eſt ictericorum ; ut item hypochondria & præſertim dextrum tumore ac duritie prorſus vacet ; ut porro plura bona ſigna adſint ; & demum ægrotus manifeſtum inde ſentiat levamen ; bonus eſt.

XVI. Contrario autem modo cunctis ſeſe habentibus apparens malus, & cum aliis pernicioſis ſignis letalis.

XVII. Jam macilentia ſive contabeſcentia & extenuatio corporis, niſi ſit vel ab aëre, vel inedia longa, vel immodica evacuatione, vel vigiliis, vel curis & animi ægritudine ; in longis & præcipue pectoris morbis declinante morbo eos vel recidivos vel inſanabiles, in aliis & maxime acutis quocunque tempore vehementiam eorum declarat.

XVIII. Febricitantium nec leviter quidem corpora in ſuo ſtatu permanere neque quidquam imminui, vitioſorum humorum multitudinem arguit.

XIX. At corpora vel quaſdam eorum partes inflari & intumeſcere, in acutis numquam bonum : in phthiſicis autem & empyicis, aliis ſignis itidem talibus, exitiale.

XX. Sola vero intumeſcentia non perpetuo malum denuntiat, quum tam in acutis quam diuturnis morbis, etiam citra eos, quædam partes, maxime pedes, tumidi reddantur, vel per criſin vel alias humoribus eo protruſis. Hydropis enim initium quæ affert, ex aliis facile dignoſcitur.

XXI. In univerſum igitur ægrotantium corpora calore, colore, ceteroque habitu, bene valentibus prorſus eſſe ſimilia, optimum: diſſimilia, numquam bonum: in acutorum principio ſtatim vel integra vel ſaltem faciem vehementer concidere & contabeſcere, peſſimum: ita tamen ut omnia cetera ſigna numquam non ſimul in conſiderationem ſint adſciſcenda.

XXII. Addendi ſunt & ungues. In gravibus enim morbis ſi nigri fiunt, cum aliis ejuſdem notæ ſignis exitium denuntiant: magis autem adhuc lividi.

XXIII. Similiter etiam pili obſervari debent. Caſus enim eorum in phthiſicis funeſtus. At ſubita & intempeſtiva canities brevem vitam portendit: niſi hereditaria ſit, vel alias manifeſtas cauſſas habeat.

CAPVT LII.

Quid ægrotantium Mores & tam in iis quam bene valentibus conſuetorum obſervatio vel mutatio doceant.

